

ycl. jur.

602

Lex et syst. jur. 1354.

ELEMENTA
JURISPRUDENTIÆ
NATURALIS

Et

ROMANÆ.

Ubi

Non tantum principia genera-
lia *JURIS NATURÆ* exponuntur,
sed & *JUS ROMANUM* in or-
dinem redigitur.

IN USUM FILIORUM.



BEROLINI,

Apud JOAN. PETRUM SCHMID.

MDCCLX.

412,
Jur.

Compendia & System: Jur: Civ:

No: 1359.

Rb.

239

B E R G

STADT ROME



PRÆFATIO.

Omnes, & illi maxime, qui primas ad disciplinam JURIS ROMANI admovent manus, in eo conveniunt, rem difficillimam esse verum systema hujus juris conceptu saltem formare, tanta in vastissimo illo Digestorum corpore est confusio, non tantum ordinis librorum ac titulorum, sed & legum singularum; cum tamen negari nequeat, jurisprudentiam Romanam, si ad prima & vera principia revocetur, paucissimis niti regulis; quibus rite cognitis, omnes illæ conclusiones quæ in Digestorum vo-

luminibus continentur, sponte
sua sequuntur.

Fidem huic rei faciunt hæc,
quæ tibi B. L. exhibeo, Ele-
menta, in quibus genuina ju-
ris Naturæ & Romani princi-
pia (utraque enim ex eodem
fonte fluunt) nova & facili me-
thodo exposui, & quæ filiis, al-
tero decimum altero undeci-
mum annum agentibus, inter
differendum spe ausum supe-
rante inculcavi.

Quæ vero per theses gene-
rales hic proposui principia,
eorum deductionem majori re-
servavi operi, ubi adhibitis na-
turæ rationibus, demonstrabo
verum esse quod Ictus ait, jus
Romanum ex jure naturæ
seu gentium collectum
esse.

Li-



Liber I.

CAP. I.

De jure naturali, ejusque origine.

§. 1.

Per *JUS NATURÆ* intelligimus legem naturæ, ratione declaratam, quæ humano generi necessitatem imponit aliquid agendi vel non agendi.

§. 2.

Talis lex, si existit, non nisi a Deo statui potuit, tum quia is est Autor naturæ & rationis, tum quia præter Deum nihil existit quod humano generi necessitatem imponere possit.

§. 3.

An vero talis lex existat, i. e. an Deus voluerit humano generi talem necessitatem quædam agendi vel non agendi imponere, multi in dubium vocarunt, quin alii plane

negarunt: Meritò igitur existentia juris naturæ probari debet.

§. 4.

Cum autem illa voluntas Dei, adeoque lex naturæ, non scripta, sed innata, & animis hominum insculpta sit, ea non ex scriptis, nec ex revelatione, sed ex sola ratione probari potest & debet.

§. 5.

Equidem ex definitione justitiæ apparet eam consistere *in jure suo cuique tribuendo*: Unde constat in *jure naturæ* duo supponi, (1) jus aliquod, i. e. facultatem habendi vel agendi, alicui quæsitum esse: (2) jus illud ab aliis turbari vel auferri non posse, i. e. jus suum cuique tribui debere.

Utrumque, quia facti est, probandum erit: at priori membro probato, alterum inde necessario inferitur; adeoque probata thesi, *Deum, Autorem naturæ, voluisse jura quædam alicui propria, eique quæsitâ esse*, simul probatur eum voluisse ne jus hoc ab aliis turbetur, i. e. *ut jus suum cuique tribuatur.* (§. 7.)

§. 6.

Jus autem natura alicui (i. e. vel *Deo* vel *hominibus*) quæsitum esse probatur.

I. *Ex natura & essentia entis perfectissimi*; Quoties enim aliquid convenit cum natura perfectissimi creatoris, inde necessario sequitur,

quitur, id ad *jus Dei* pertinere, & hoc jus naturali ratione ei quæsitum & proprium esse.

Hoc autem jus consistit præcipuè *in cultu* quem creatura creatori suo debet, & in *absoluto dominio* creatoris in suam creaturam, vi cujus jus Deo competit in corpus, vitam, & actiones hominum, nec non in omnes res terræ: (*Vid. §. 9. §. 17. seq.*)

II. *Ex actione creatoris & ejus fine*: si nimirum Deus hominibus facultatem habendi vel agendi concessit, & quidem ad certum finem, ex hac actione apparet Deum voluisse illum finem, indeque hominibus jus esse agendi vel habendi juxta illum finem, quia creator alias frustra hunc finem sibi proposuisset, pugnat autem cum perfectione divina frustra aliquid agere:

III. *Ex mediinecessitate*: quia posito fine etiam ponuntur media sine quibus finis ille obtineri nequit.

IV. Jus quoque naturali ratione quæsitum alicui esse colligi potest, *ex communi consensu gentium*: Si enim apud omnes gentes facultas agendi vel habendi hominibus permittitur, probabiliter inde infertur, jus hoc ab ipso natura permitti cum enim ratio inter homines eadem sit, sequitur communes tales conclusiones fundamentum in

A 4

ipsa

ipsa communi ratione habere; quia universalis effectus universalem requirit causam.

§. 7.

Quoties igitur ex præfatis probandi modis constat, *jus aliquod ratione naturali cum Deo tum hominibus quæsitum esse*, inde necessario sequitur, *neminem hominum hoc jus invertere posse*; violaret enim *perfectiones divini creatoris*, turbaret *finem creationis*, impediret *media* quæ ad finem illum obtinendum tendunt, & improbaret id quod *communi gentium consensu*, adeoque ex conclusio rationis, pro jure habetur. (*Vid. §. 5.*)

§. 8.

Omnis igitur quæstio in eo vertitur; Quænam sint illa jura, quæ naturali ratione tum *Deo tum hominibus* sunt quæsitæ, iisque tribuenda: De juribus *Deo* quæsitis initium faciemus:

§. 9.

Ratio naturalis nos docet Deum a se ipso exillere, eoque esse ens perfectissimum, cujus natura ac essentia in summa perfectione consistit; quicquid igitur convenit cum natura & essentia perfectissimi creatoris id necessario ad *jura Dei* pertinet, cum verò *CULTUS* separari a perfectione nequeat (cultus enim est perfectionis æstimatio,) inde sequitur, cultum esse jus naturali ratione
Deo

Deo tanquam enti perfectissimo quaesitum, eique proprium. (*Vid. §. 6.*)

Hoc jus igitur creatura creatori suo absque injuria auferre nequit, (*Vid. §. 7.*) auferret autem si non coleret, quia, uti dictum modo est, cultus est aestimatio perfectionis. Prima ergo lex naturæ est *Deum cole*; partes cultus divini libro II. explicabimus.

Præterea ex creationis actu apparet, Deum esse autorem universi, eoque dominum omnium rerum creaturarum: Quo posito negari nequit, plenissimum ei *jus* competere in *corpus, vitam, & actiones* hominum, eumque pro lubitu æque de his, ac de *rebus terræ* disponere posse. (*Vid. §. 6.*)

Duo autem hic notanda sunt: (1) Hæc jura Deo quaesita esse non ex causa aliqua extranea, seu ex concessione aliqua entis alterius, sed ea sequi ex natura & essentia ipsius entis perfectissimi, & Creatoris universi. (2) Deum jura quæ in cultu consistunt remittere non posse; perfectioni enim divinæ repugnat, non velle coli, Deus autem non aliter velle potest quam id quod perfectissimum est.

§. 10.

Deinde *HOMINIBUS* quoque jura quædam ex voluntate Dei, adeoque naturali ratione quaesita eisque propria sunt.

A 5

Cer-

Certum enim est, & suis locis probabitur, hominibus facultates quasdam morales i. e. jus habendi vel agendi competere, tum ex *statu hominum naturali*, tum *in res* hujus terræ, tum *in personam ex ejus obligatione*. Homo igitur intra hos fines agens jure agere dicitur, & hæcenus jus ita agendi vel habendi ex voluntate creatoris ei quæsitum est.

§. II.

Posito autem *jus ex voluntate creatoris homini proprium factum*, necessario inde sequitur, *alios homines jus illud turbare vel auferre non posse, eoque teneri jus cuique naturali ratione quæsitum tribuere*: (§. 5.) Injuria enim fieret *ET DEO*, si contra ejus voluntatem ac intentionem creatura jura illa auferret: *ET HOMINI*, cui Deus jura illa quæsitæ esse voluit; quæ injuria tam diu durat, donec ea reparatur, i. e. jus suum cuique tribuatur.

§. 12.

Existit igitur jus naturæ i. e. lex naturæ per rationem declarata, quæ hominibus necessitatem imponit aliquid agendi, vel non agendi, id quod probandum erat. *Vid.*

§. 4. 5. & 6.

§. 13.

Definitur *JUS NATURÆ*, jussus, præceptum, seu lex naturæ, ejusque Autoris, per rationem humano generi declarata, ut jus suum cuique (i. e. tum Deo, tum hominibus) tribuat: *Justus*

Iustus ergo natura est qui jus suum cuique tribuit; *injustus*, qui jus alterius turbat, adeoque suum cuique non tribuit.

§. 14.

Præter hoc *jus naturæ* non datur aliud jus universale, adeoque nec *jus gentium secundarium*, nec *jus divinum positivum universale*: Pleraque enim præcepta quæ his juribus adscribi solent, vel plane non sunt præcepta, vel ad ipsum jus naturæ pertinent: Jure *forensi* & *ceremoniali*, nec gentes nec Christiani obligantur.

§. 15.

Equidem leges naturæ inter eos qui communi civitatis vinculo non continentur, sufficiunt. At inter eos, qui in civitatem coiverunt, vix est ut obtinere per omnia possint.

Nam civitate constituta inter parentes & imperantes leges statui, formæ certis negotiis præscribi, facultas moralis agendi ob communem civitatis utilitatem restringi, jura civibus quæsitæ ob utilitatem publicam tolli, rigor naturalis in quibusdam casibus mitigari, & talio naturalis ob exemplum exasperari, pœnæque augeri debent.

Hinc quæri solet, an hæ leges civiles obligationem quandam jure naturæ inferant? vel, quod idem est, an in conscientia obligent? Quod omnino affirmamus; quia Jura civilia nituntur consensu civium; illi enim

nim

nam qui in civitatem coeunt, sese arbitrio civitatis submittunt, simulque promittunt, se decretis, statutis & legibus civitatis parituros: Ex hoc pacto igitur singuli tenentur, & haecenus obligatio est ex jure naturæ.

§. 16.

Expositis in genere juribus quæ tum *DEO* tum *HOMINIBUS* naturali ratione quæsitæ sunt, superest ut singula jura eis quæsitæ explicemus: Ubi (1) agemus de juribus *Deo* quæsitis (2) de juribus quæ naturali jure *hominibus* quæsitæ & propria sunt.

Liber II.

De jure quod Deo naturali ratione competit in homines, eorumque corpus, actiones & res.

§. 17.

Diximus Deo jus aliquod intuitu hominum quæsitum esse, quod in *cultu* consistit. (*Vid* §. 6. & 9.)

§. 18.

Causa igitur cultus divini est ipse *Deus*; ex cujus essentia & perfectione sequitur, eum necessario colendum esse. (*Vid*. §. 9.)

§. 19.

§. 19.

Subiectum cultus sunt *homines*, rationis u-
sum habentes: Indequé cultus hic ab in-
fantibus & furiosis non exigitur, nedum a
brutis.

§. 20.

Objectum cultus sunt *vel* notiones & actus
qui *immediate* Deum respiciunt, *vel* notio-
nes & actus qui *mediate* ad Deum spectant.

§. 21.

Immediate ad cultum divinum pertinent
(1) *cognitio Dei*, entis a se ipso existentis,
eoque perfectissimi, unius, materia caren-
tis, creatoris universi, providentis, omni-
potentis, omniscientis &c. (2) *adoratio Dei*
agniti, laudando eum, gratias ei pro bene-
ficiis concessis agendo, necessaria ab eo pe-
tendo &c. (3) *pœnitentia*, quæ fit vel per
preces, vel per sacrificia.

§. 22.

Mediate cultum divinum respiciunt (1)
juris jurandi religio, (2) *observantia legum*
naturæ, utpote quæ ex voluntate Dei se-
quuntur, cui in contrarium ire homines
absque injuria non possunt, (3) *exercitium*
virtutum, imitando perfectiones divinas, in-
primis aliis benefaciendo: Non vero (4)
partes cultus naturalis sunt *ritus*, nec (5) *dog-*
mata, quæ nituntur sola fide historica.

§. 23.

§. 23.

Qui proinde cultus naturalis officia negligit, jus Deo quæsitum aufert, indeque ad injuriæ hujus reparationem obligatur, i. e. jus suum cuique tribuere tenetur. (*Vid. §. 9.*)

§. 24.

Præterea Deo jus competit in ipsum *corpus* hominis ejusque *vitam* & actiones: Homo opus est creatoris, qui potuit hominem creare & non creare, & qua vult lege creare: Deo ergo plenissimum jus in suam creaturam competit. (*d. §. 9.*)

Hinc (1) Deus hominem per cruciatus, morbos, alioque fato vita privare, & ad id aliorum quoque ope uti potest; homini enim nulla fit injuria, utpote cujus jus omne a creatore dependet, &c.

Atque hoc jure nititur præceptum Dei de immolando Isaaco; de delendis populis damnatis: &c. Neque enim Abraham & Israelitæ id suo jure fecere, neque facere poterunt, utpote cum jus eorum violatum non fuerit; sed jure Dei, jus suum per alios exercentis. Atque huc quoque pertinet exemplum Jobi.

(2) Ex præmissis sequitur hominem de vita sua disponere non posse, & antochei-riam naturali ratione crimen esse: Disponeret enim homo de jure Dei, turbaret ordinem

dinem

dinem naturæ, & anticiparet terminum quem Deus homini, ejusque vitæ, posuit; eoque interverteret voluntatem creatoris.

§. 25.

Sed & porro Deus supremi dominii jus habet *in res* hujus terræ, quas ipse creavit: Etsi igitur facultatem utendi rebus hujus terræ hominibus concesserit, sibi tamen reservavit jus prolubitu de illis rebus disponendi

Unde Deus injuriam non fecit *Ægyptiis*, jubendo Israelitis ut Vasa eorum auferant, nec Jobo, quem omnibus bonis exuit &c.

§. 26.

Probe autem, coronibus loco, hoc notandum est, hanc juris naturalis partem quæ *de juribus Dei in homines* agit, proprie non pertinere ad officium *Legislatorum*, nisi quatenus ejus præcepta securitati reipublicæ inserviunt; Sed officium hoc proprium esse *Theologis*.

Legislatores enim determinant saltem quænam sint officia civium inter se, quid homo homini debeat, & quid homo ab homine actione exigere possit, ceterum parum solliciti an ex puritate animi, an metu pænæ subditus subdito jus suum tribuat: Unde etiam pœnas saltem temporarias refragantibus minantur.

Theologi è contrario exponunt quænam sint

sint

sint officia hominum erga Deum, & quid homo Deo debeat; adeoque cultum, & modum colendi, quibusve modis iratum numen expiari possit, indigitant: Atque hi Doctores, non leges statuunt, sed monent, docent, hortantur, neque pœnas civiles sed divinas easque tum temporarias, tum æternas, proponunt.

Ex quibus constat hanc juris naturalis partem maxime ad salutem esse necessariam; quin humani generis magis interesse jura Dei, quam jura hominum addiscere: Minima enim justitiæ pars est ad legem bonum esse.

Liber III.

De jure personarum
feu

De jure quod hominibus competit ex statu hominum.

PROOEMIUM.

§. 27.

Examinavimus jura *DEO* quæsitâ, sequuntur jura quæ *HOMINIBUS* a natura

tura

tura ejusque autore concessa sunt, indeque eis ab aliis tribui debent.

§. 28.

Nos cum JCtis Romanis statuimus, jus cuique hominum naturali ratione quaesitum esse vel ex *statu hominum, vel in res suas, vel ex obligatione personæ.* (§. 10.)

§. 29.

Atque juxta hanc methodum singula naturæ jura illustrabimus, neque enim ullum superest inter homines jus, quod ad hæc capita referri non possit.

CAPUT I.

De statu hominum in genere:
Ubi de personarum differentia.

§. 30.

Per *JUS PERSONARUM* intelligimus ius, quod personis ex *STATU HOMINUM* naturali competit, *Leg. 2. & Rubr. ff. de stat. hom.* & quod nemo sibi arrogare potest nisi statum illum habeat.

§. 31.

Ut vero appareat quænam personæ *statum* habeant, præmittere differentias personarum necesse est.

B

Personæ

Personæ autem sunt (1) vel *liberi* vel *servi*. *Liberi* sunt vel ingenui, qui liberi nati sunt; vel liberti, qui ex iusta servitute manumissi sunt: (2) vel *sui juris*, ut patres familias, & matres familias; vel *alieni juris*, quales sunt illi qui sub patria potestate, vel dominica sunt constituti. Non vero, qui sunt sub potestate tutoris, vel mariti; nam hi *sui juris* manent: (3) Vel *cives* vel *extranei*.

§. 32.

Statum ergo habere dicuntur (1) homines liberi, (2) qui membra sunt ejusdem familiæ, (3) qui membra sunt ejusdem civitatis: Hinc JCti tria nos habere ajunt: *Libertatem, civitatem, & familiam*: L. 2. ff. Cap. Min. eoque triplex est status hominum, *libertatis, familiæ, & civitatis*.

Præterea alius status non datur; Et si enim aliæ quædam differentiæ inter personas intercedant, v. g. quod homines sint vel *masculi*, vel *fæminæ*, vel *hermaphroditæ*; quod sint vel *nati* vel *nascituri*, &c. nulla tamen inde infertur differentia juriū, neque huic qualitati jura quædam propria cohærent.

§. 33.

Status hominum est conditio seu qualitas personæ inhærens vī cuius
jus

ius ea capax redditur jurium, quæ statum illum comitantur.

CAPUT II.

De Statu libertatis.

§. 34.

STATUS LIBERTATIS est conditio hominum, vi cujus facultatem naturalem habent agendi, quicquid lubet, exceptis eis, quæ jure prohibentur.

§. 35.

Homo a natura statum libertatis habet, i. e. nullius alterius dominio subiectus est, idque apparet (1) ex *actione creatoris & ejus fine*. Creator enim non tantum propriam facultatem agendi, quicquid lubet, cuique hominum concessit, sed & motum ac instinctum hominibus indidit, vi cujus ad libertatem ducuntur, eumque instinctum brutis quoque communicavit: At idem creator per rationem hominibus concessam declaravit, se facultatem illam, illumque motum, non promiscue sed saltem intra certos fines concessum esse voluisse. Cum igitur cuique hominum propria agendi facultas concessa sit, necessario sequitur, alteri in alterius facultatem nullum jus competere. Sane eodem jure, quo mihi in alterius actiones jus aliquod arrogo, eodem jure reli-

B 2

qui

qui homines in meas facultates jus sibi arrogare possent, quod nihil aliud esset, quam in utrumque bellum Hobbesii. Confirmatur id (2) *ex natura entis perfectissimi*. Frustra enim Deus cuique hominum facultatem agendi, quicquid lubet, dedisset, frustra motus illos omnibus animantibus indidisset, si homines licite agere non possent, vel si cuique facultates illas turbare liceret. Denique & (3) *omnes gentes in eo consentiunt*, homines liberos nasci. Icti Romani omnes homines natura esse æquales dixerunt *L. 4. de just & jur.* indeque servitutem, qua quis alieno dominio subicitur, contra naturam esse statuerunt *Leg. 4. §. 1. stat. hom.*

Nemo igitur homini hoc jus auferre, i. e. eum alieno dominio subicere potest, quia ex regula naturæ jus suum cuique tribuere tenetur.

§. 36.

Effectus hujus status *intuitu* ejus qui statum habet, est, quod sui dicatur juris, & nullius dominio subiectus, adeo ut omnia suo arbitrio agere possit quæ vult, quatenus facultates naturales jure non sunt prohibitæ: *intuitu* aliorum, quod illi nullum in me measque actiones jus sibi arrogare possint. Si proinde statum meum libertatis

tis

tis turbant, injuria agunt, quam reparare, i. e. jus suum cuique tribuere tenentur.

§. 37.

Amittitur status libertatis, si quis alieno dominio subjicitur; uti si quis ab hoste captus in servitutem redigitur. Servitus enim est *constitutio juris gentium, qua quis alieno dominio contra naturam subjicitur*: cujus ratio naturalis in eo consistit, quod hostis, utpote homicida, fur, raptor ac vastator, ex judicio nostræ civitatis mori meruerit. *Vid. §. 10.*

Potest quoque alieno dominio quis subjici *lege*, si propter crimen per sententiam judicis libertate privatur.

Non vero *status libertatis* tollitur, si *lege* vel *vi* aliquid prohibetur facere. Si enim *lege* prohibetur, ipso jure libertas, (i. e. facultas agendi quicquid lubet,) cessat, in reliquis autem facultas manet: Si *vi* prohibetur, libertas quidem seu facultas naturalis agendi desinit, at status libertatis non tollitur, i. e. non subjicitur alieno dominio. Hinc a prædonibus captus servus non fit, nec reversus postliminio opus habet, quia injuria facultas ejus agendi prohibetur.

§. 38.

Servi nihil proprii habent, adeoque etsi naturaliter ex contractu vel quasi contra-

ctu obligentur, tamen civiliter (i. e. quo ad effectum actionis) nec se obligare, nec alios sibi obligare possunt, sed quicquid acquirunt, domino acquirunt, etiam ignorantibus & invito.

Dominus servum occidere, alienare pro lubitu, & pecudis instar eum vindicare à quocunque possessore potest.

§. 39.

Ceterum cum his servis jura naturæ præceptiva manent communia; hinc tenentur ex crimine, incestus inter eos prohibentur &c.

§. 40.

Tollitur autem servitus (1) morte (2) manumissione. (3) Si postliminio captus revertitur, pro non capto habetur, adeoque omnia pristina jura recipit.

CAPUT III.

De statu familiæ.

§. 41.

STATUS FAMILIÆ est conditio, seu qualitas personæ, per quam constituitur membrum familiæ seu corporis, quod ex patre, matre, liberis, & agnatis consistit; vi cujus conditionis capax fit jurium, quæ familiæ cohærent.

§. 42.

§. 42.

Familia tantum constituitur per *justas nuptias* i. e. per talem corporum conjunctionem, quæ individuum vitæ consuetudinem continet, & quæ sola patrem certum demonstrat. (§. 50.) Sane cum officia quædam & jura ipsa naturali ratione ex familia sequantur, jura illa cuique tribui non possent, si de certitudine patris & liberorum non constaret.

§. 43.

Ex hoc *statu familie* jus quæsitum est (1) *Patri*, qui caput est familie, eoque naturâ imperium in familiam habet: *Vid. §. 158.* Is igitur lites in familia ortas decidit, delinquentes punit, leges familie dicit &c.

§. 44.

(2) *Matri* quoque ex statu illo familie jura quædam propria sunt. Cum enim consensu suo ad mariti familiam accedat, ac ei se submittat, eoque pars ejus constituatur, cum sociata fiat omnium fortunarum mariti, necessario sequitur, eam participare de dignitate mariti, nomen ejus gerere, forum ejus sequi, insignibus ejus uti, ali & defendi debere a marito, communionem bonorum inter conjuges obtinere, indeque conjugem altero mortuo dimidiam bonorum partem sibi vindicare.

B 4

Sed

Sed & matri jus educandi & corrigendi liberos competere, eique à liberis reverentiam deberi nemo infitias ibit.

§. 45.

(3) Jura *liberis* ex statu familiae quaesita sunt (a) quod ali ac educari a parentibus debeant, nec parentes id omittere possint: (b) quod participant de omnibus juribus & privilegiis familiae, (hinc nomen gerunt patris, insigniis ejus utuntur; sequuntur forum, dignitatem, & fortunam patris,) (c) quod continuent familiam patris i. e. in omne ejus jus succedant; quæ ratio est omnis successionis naturalis. *Vid. §. 77.*

§. 46.

(4) Jura *agnatis* quaesita ex statu familiae hæc sunt, (1) quod itidem participant de privilegiis & juribus, quæ toti genti coherent, indeque insignibus familiae utantur, nomenque familiae gerant. (2) Quod injuriam familiae illatam vindicare possint. (3) Quod a familia contra injuriam aliorum defendi debeant, exemplo Abrahami & Lothi; quo jure nituntur (4) tutela legitimæ officia. (§. 57.)

§. 47.

Amittitur familia (1) morte vel patris vel filii, (2) emancipatione, (3) adoptione. Duobus posterioribus modis jura sanguinis non tolluntur.

SE-

SECTIO I.

De nuptiis.

§. 48.

Cum familia non nisi per justas *NUPTIAS* constituatur, (§. 42.) de matrimonio hic nobis agendum est.

§. 49.

Nuptias præcedunt *SPONSALIA*, quæ sunt mentio & repromissio futurarum nuptiarum.

§. 50.

NUPTIÆ vero sunt viri atque mulieris conjunctio individuum vitæ consuetudinem continens.

§. 51.

Differunt autem *sponsalia* & *nuptiæ*, quod *illa* sint pactio de futuris nuptiis, seu de jungendis corporibus; *hæ* autem supponunt conjunctionem, seu facultatem sese conjungendi, adeoque sunt instar traditionis, quia per nuptias persona uxoris in mariti constituitur potestate.

Atque hæc ratio est, cur nuptiæ apud Romanos non fuerint nisi deductâ sponsâ in domum, i. e. in potestatem ac custodiam mariti, & cur nuptiæ præferantur sponsalibus, etiam anterioribus.

Sola ergò conjunctio *ad individuum vitæ consuetudinem* licita est jure naturæ. Idque probatur (1) *ex actione creatoris*

B 5

85

& eius fine: Deus enim jura quædam inter liberos & parentes constituit, quæ tribui neutris possunt, nisi de certo patre constet. Nulla autem certitudo moralis esse potest de patre, nisi uxor in mariti potestate & custodia constituatur. (2) Ex natura entis perfectissimi. Deus enim prohibuit incestus, liberis injunxit cultum parentum, parentibus liberorum educationem. Frustra autem Deus hæc officia voluisset, si promiscuos concubitus permittere voluisset; Non enim constaret, quis sit pater qui liberi. Accedit (3) consensus omnium gentium. Omnes uxores ducunt, eas in domum suam recipiunt, individuum vitæ consuetudinem cum iis contrahunt &c. ea sola intentione, ut certam prolem habeant, quæ familiam continuet, i. e. parentibus succedat. (Vid. §. 77.)

§. 52.

Ad justas nuptias requiritur (1) consensus conjugum; hinc nullæ sunt, si in persona erratum est, vel si alteruter est furiosus, infans &c. (2) ut consentiant in individuum vitæ consuetudinem; unde excluditur promiscuus concubitus, & concubinatus temporarius: (3) ut contrahantur sobolis procreandæ causa. Unde excluditur omnis Sodomiz species, crimen onaniticum

cum &c. (4) ut *conjunctio illa ob proximitatem sanguinis prohibita non sit.*

Prohibita autem est (1) cum *carne nostra*, i. e. cum *parentibus & liberis*, (2) cum *carne carnis nostræ*, i. e. cum *fratribus & sororibus, ac thiiis*: (3) cum *iis, qui concubuerunt cum carne nostra*, adeoque cum *vitrico & noverca*, cum *genero & socru*, vel (4) cum *iis, qui concubuerunt cum carne carnis nostræ*: adeoque cum *fratria & sororia*, cum *avunculi & patrui viduabus*; non cum *amitæ & materteræ viduis*.

§. 53.

Nuptiæ vel sunt ipso jure *nullæ*, vel dissolvuntur. Ipso jure nullæ sunt, (1) si deficit consensus, (2) si non contrahuntur ad individuum vitæ consuetudinem, (3) si nuptiæ sunt incestæ &c.

Dissolvuntur nuptiæ (1) mutuo dissensu, (2) morte, (3) per divortium, non (4) ob hæresin, nec (5) captivitate.

SECTIO II.

De Tutelis.

§. 54.

Inter *jura familiæ* quoque recensuimus, quod familia tueri teneatur membra familiæ, quæ ipsa se defendere non possunt. (S. 46.) Si proinde propter ætatem, mem-
brum

brum aliquod familiæ jura sua tueri nequit, familiæ hoc officium incumbit; idque *TUTELA* dicitur.

§. 55.

Tutela est vis ac potestas in capite libero (i. e. alieno dominio non subjecto) ad tuendum eum, qui se ipsum defendere per ætatem nequit.

§. 56.

Ea est vel *legitima*, vel *dativa*, vel (quæ jure Romano introducta est,) *testamentaria*.

§. 57.

Legitima tutela est, quæ jure naturæ proximis cognatis defertur, ut (1) matri, (2) fratribus & sororibus, (3) thiiis (4) cognatis reliquis.

Sequitur hæc tutela ex *jure familiæ*. Membra enim ejusdem familiæ sese invicem tueri debent, quia alias corpus illud familiæ subsistere nequit. (§. 46.)

§. 58.

Dativa est, quæ a civitate datur. Familia enim deficiente ipsa civitas prospicere pupillis debet: ideo enim in civitatem coivere familiæ, ut singulorum personæ & jura communi ope defendantur, adeoque hæctenus hæc tutela, itidem à natura est. (§. 62.)

Testamentaria est, quæ testamento confi-

sti-

stituitur; & uti ipsa testamenta, ex jure civili originem habet. (*Vid. §. 78.*)

§. 59.

Effectus tutelæ est (1) quod *tutores* auctoritatem præstare negotiis pupilli, ejusque personam & bona tueri teneantur: (2) quod *pupilli* jure naturæ ex facto tutorum obligentur, & acquirant.

Hinc *actio tutelæ* datur (1) *pupillo* contra tutorem finita tutela ad rationes reddendas & reliqua præstanda, quæ *directa* vocatur, (2) *tutori* contra pupillum *contraria*, ad recipiendas impensas, damna &c.

§. 60.

Finitur tutela (1) morte alterutrius (2) si statum mutat tutor vel pupillus, (3) pubertate, jure Romano anno XIV. in fœminis XII. (4) Si tutor seipsum defendere nequit, uti si fit furiosus; (5) si male administrat, removeri debet, (6) excusatione ob justam causam: non, (7) si mater ad secunda vota convolat, secus ac jure Romano.

§. 61.

Si membrum familiæ vel civitatis non per ætatem, sed per morbum, absentiam, aut aliam justam causam seipsum tueri nequit, pariter familiæ, eaque deficiente, civitati incumbit necessitas membrum illud

lud

lud ejusque jura defendendi. Atque hoc officium non tutela, sed *CURA* dicitur. Idemque hic obtinet ratione obligationis, quod in tutoribus.

CAPUT IV.

De Statu Civitatis.

§. 62.

STATUS CIVITATIS est conditio seu qualitas personæ, vi cujus quis jurium civitatis fit capax.

Civitas est coetus hominum juris tuendi causa congregatus.

Civitates non sunt *immediatè* à natura, sed *mediatè*, quia consensu constituuntur. Unde obligatio inter membra civitatis oritur ex pacto, & hætenus ex jure naturæ. (*Vid. §. 12.*)

Diximus enim, ratione naturali jura quædam cuique hominum quæsitæ esse, hæc jura ex medii necessitate quisque defendere potest; (§. 156.) defensio illa inter membra ejusdem familiæ, per judicium patris familias peragebatur. (§. 158.)

Auctis familiis plures familiæ sese junxerunt, & civitatem constituerunt, atque in hanc jus suum defensionis contulerunt; ut proinde ex civitate consensu constituta,
ius

jus aliquod naturali ratione quæratum singulis civitatis membris, quod jus ab aliis ipsis tribui debet.

§. 63.

Personæ, quæ statum civitatis habent, sunt vel *imperantes* vel *parentes*; indeque *alia* sunt jura imperantium, *alia* parentium.

ILLA continentur sub regula generali, quod omnia facere possint imperantes, & omnia eis præstari debeant, quæ ad salutem civitatis pertinent. *HÆC* uno hoc principio absolvuntur, quod cives defendere civitatem, & defendi a civitate debeant, omniumque jurium & privilegiorum civitatis sint capaces. (Vid. §. 167.)

§. 64.

Tollitur *STATUS CIVITATIS* intuitu imperantium omnibus modis, quibus imperium interit, de quibus infra §. 168.

Intuitu parentium (a) morte naturali, (b) in pœnam, si quis in servitutem redigitur, (c) si civis deserit civitatem, (d) deditione, quæ hosti fit, non verò (e) per relegationem.

§. 65.

Not. in omnibus societatibus consensu constitutis jus majoris partis obtinet. Hinc si major pars civitatis aliquid dæcernit, tota civitas inde obligatur: Atque

que

que hæc ratio est, cur tota civitas obligetur ex injuria a majori parte illata, quo fundamento jus repressaliorum, & jura belli in subditos hostium, nituntur.

Liber IV.

De jure quod hominibus competit in res.

§. 66.

Explicato *jure personarum*, quod ex *statu hominum* oritur, sequitur nunc jus, quod humano generi competit in *RES*.

§. 67.

Antequam modos naturales, quibus res nostræ fiunt, i. e. in proprietatem & dominium nostrum perveniunt, explicemus, præmittendum est, quid per *RES* intelligamus, quotuplices sint, & quænam in proprietatem nostram venire possint.

§. 68.

Per *RES* igitur intelligimus, quicquid in hominum usu esse potest, sive quoad imperium, sive quoad solum usum, sive quoad proprietatem.

Notandum enim est, tria in rebus terræ esse

esse occupabilia (1) imperium, (2) solum aliquando usum, (3) ipsam proprietatem.

Imperium occupari potest, etsi proprietas rei non possit in potestatem nostram venire: Hinc mare, aqua profluens, & aer, sub imperio nostro esse possunt, etsi proprietas acquiri nequeat.

Occupato *imperio*, res quæ in proprietatem venire possunt nondum censentur occupatæ, sed manent nullius, eoque cedunt occupanti:

Effectus hujus imperii est, quod imperans legem mari, aeri, aquæ profluenti, dicere possit, salvo tamen usu publico gentium. Sic prohibuere Romani ne quis in alieno fundo aucupium exerceat; ne altius ædificium tollat; ut navigantes in mari, & flumine publico, certam pecuniam solvant; & huc pertinet submissio velorum. &c. Deinde, quod imperans prohibere possit ne res intra fines imperii sitæ in proprietatem veniant; ne ædificare in littoribus, vel feram in alieno fundo capere liceat. &c.

Quando res quoad *solum usum*, & quibus modis *ipsa proprietas* occupari possit, statim examinabimus.

§. 69.

Sequuntur nunc rerum divisiones; & PRIMO quidem Marcianus quædam jure

C

na-

naturali *communia*, quædam *universitatis*, quædam *nullius*, pleraque *singulorum* esse ait.

n. 1. *Communia* sunt *aer*, *aqua profluens*, *mare*, & per hoc *litora maris*: *Communia* autem dicuntur quia *proprietas* sua *natura* occupari nequit, & ideo *usus* omnibus *hominibus* *communis* est. (vid. §. 73.)

Ad *res communes* *Icti Romani* quoque referunt *res publicas jure gentium*, quæ omnibus *hominibus* *patere* voluerunt, et si sua *natura* occupari possint; *utilitiora maris*, *ripæ* & *alveus fluminis publici*, (extra *usus publicos*) & *alia incrementa fluvialia*, si scilicet *agri* sunt *limitati*, &c. (Vid. §. 75.)

n. 2. *Res universitatis* dicuntur quarum *proprietas* ad *universitatem* pertinet, *usus* vero ad *singulos cives*; quo *Icti Romani* referunt *theatra*, *balnea publica*, *stadia*, *fora*, *arenas*, &c.

n. 3. *Res nullius* *Ictis Romanis* *res divini iuris* vocantur, & sunt vel *sacræ*, vel *sanctæ*, vel *religiöse*; hæ enim in *nullius* *privati bonis* ac *proprietas* sunt.

n. 4. *Res singulorum* sunt quæ in *singulorum dominium* & *proprietas* pervenerunt, & ex *variis causis* *cuique* *acquiruntur*.

§. 70.

SECUNDO res sunt vel *corporales*, vel *incorporales*: *Illæ* sunt quæ tangi possunt; *hæ*, quæ tangi non possunt.

§. 71.

TERTIO res *corporales* vel *mobiles* sunt, vel *immobiles*; *Illæ* solo non cohærent, *hæ* cohærent solo vel sua natura, vel ex destinatione hominis.

§. 72.

RES terræ natura sunt nullius, i. e. in nullius hominis bonis & proprietate.

Quædam autem harum rerum in proprietatem singulorum venire possunt, *quædam* non possunt.

§. 73.

In proprietatem singulorum venire non possunt (1) *res communes*, (vid. §. 69.) idque ex ipsa ratione naturali sequitur, cum enim hæ res sint indeterminatæ, & inexhaustæ, impossibile est ut in nostram corporalem potestatem redigi, i. e. occupari possint. (2) Lege Romana occupari non possunt *res publicæ jure gentium*, i. e. res quæ usui publico gentium relictae sunt, ut ripæ, littora, alvei &c. & consequenter insulæ, cruxiæ, alvei derelicti, &c. Si scilicet agri sunt limitati. (vid. §. 69. n. 1.) (3) Eadem lege quoque singulorum fieri non possunt *res universitatis*, quia proprietates populi est,

& solus unus singulis civibus est relictus. (vid, §. 69. n. 2) Denique & (4) legibus Romanis acquiri prohibentur *res divini juris*, quæ *nullius* a Marciano vocantur; (vid. §. 69. n. 3.) nimirum *res sacræ, sanctæ, & religiosæ*; quia usibus profanis a legislatoribus Romanis exemptæ sunt.

Naturali jure *res sacræ & sanctæ*, utpote quæ legem Principis supponunt, non dantur: *Religosæ* autem ex superstitione gentilium, qui Deos manes circa ossa defunctorum errare, atque ideo sepulturam necessariam crediderunt, originem ceperunt.

§. 74.

Proprietatem seu dominium rerum acquirimus vel *facto* nostro, vel *jure rei nostræ*, vel *jure successionis*, seu *familiæ*.

I. FACTO NOSTRO acquirimus (1) per *occupationem rei nullius*: *Occupatio* est actus, quo rem quæ *nullius* est in potestatem & custodiam redigimus, animo ejus habendæ. l. 55. ff. A. R. D.

Hæc *occupatio* est primus ac originarius modus acquirendi dominii jure naturæ: Nam (a) res hujus terræ natura nullius sunt, i. e. in nullius potestate, & custodia, adeoque in nullius bonis ac proprietate; a nemine enim apprehensas esse supponimus: Si quis igitur talem rem occupat,

pat,

pat, licite agit, & nemini infert injuriam, cum enim nemini jus quæsitum sit prohibendi, occupans suo jure utitur.

(b) Deus, qui res in usum hominum creavit, facultatem quoque cuique dedit rebus illis utendi; &c. frustra autem res illas produxisset, frustra facultates illas concessisset, nisi res creatas in usus suos convertere, i. e. proprietatem acquirere liceret.

(c) Deus homines vult conservari, ideo eis victum procuravit, non autem conservari genus humanum posset, nisi fructus terræ suos facere ei liceret.

(d) Denique exemplo omnium gentium apparet, singulos homines, occupando res nullius, jus aliquod proprium in illis rebus sibi acquirere.

Cum igitur certum sit ex voluntate Creatoris res per occupationem nostras fieri, necessario inde sequitur, neminem hominum rem occupatam absque injuria nobis auferre posse; sed, si alius rem nostram tenet, eum ex regula generali justitiæ illam nobis restituere, i. e. jus suum cuique tribuere teneri.

Res autem *nullius* sunt (a) *feræ*; (b) *inventa in litore*; (c) *thesaurus*, qui est vetus depositio pecuniæ cujus non extat memoria; (d) *adespota*, seu hero caren-

tia; (e) *res pro derelicto habitæ*, i. e. quarum rerum dominium abjicitur a domino, ut in rerum suarum numero eas amplius habere nolit.

(2) Species occupationis est *specificatio*; quando ex aliena materia, nostro nomine, novam speciem conficimus, etsi ad pristinam materiam reverti possit: Hæc enim nova species nunquam ad materiæ dominum pertinuit, adeoque cedit facienti, utpote cujus factò nova species existit. (Vid. §. 75. n. 6.)

Si partim ex mea partim ex aliena materia novam speciem conficimus, *specificatio* illa dicitur *commixtio* si res solida est; vel *confusio*, si res est liquida.

Facto nostro quoque (3) acquirimus dominium per *capturam rei hostilis*: Si scilicet res hosti ablata intra fines nostri, vel socii territorii, adeoque in nostram potestatem pervenit atque custodiam; cujus acquisitionis rationem videntur supra §. 37.

Nec non (4) *perceptione fructuum ex re aliena*; quia v. g. fructus decerpti desinunt esse pars arboris, quæ sola prioris domini fuit; indeque acquiritur decerpenti, qui precium fructuum solvere tenetur priori domino, ejus enim damno locupletior fit.

(5)

(5) *Per traditionem* rei ab alio, ex iusta domini transferendi causa, (etsi erronea) factam, & a nobis acceptam.

Traditio autem est actus duorum, quo res ab altero in alterius potestatem transfertur. Tradita quoque res videtur etsi manu & corpore non capiatur, modo ita in potestate nostra sit constituta ut capi possit, atque hæc *fieta traditio* vocatur.

§. 75.

II. *JURE REI NOSTRÆ* acquirimus dominium (1) *jure ventris*; adeoque foetus pecudis nostræ, & partus ancillæ nostræ, etsi alieno semine producti, nostri sunt. Sunt enim pars rei nostræ.

(2) *Per alluvionem* in agris arcifiniis, i. e. in illis agris qui mare vel flumen pro finibus habent, tunc enim ubi mare vel flumen est, ibi terminatur ager.

Alluvio autem est incrementum latens, quod prædio nostro vi fluminis paulatim adjicitur.

Causa hujus acquisitionis est (a) quod dominus incrementi hic per naturam demonstrari non possit. (b) Quia ager præter flumen seu mare limitem non habet, ubi igitur flumen seu mare est, ibi est limes territorii vel agri.

Cessat alluvio (1) in *lacubus & stagnis*, quia nulla ibi vis fluminis est, adeoque

C 4

cessat

cessat adjectio quæ sit paulatim pededen-
tim: (2) In *agris limitatis*, quicquid enim
prædiis assignatum non est, uti non est
id quod quod extra limites positos ac-
cedit, usui publico relictum censetur.
(3) Jure Romano cessat alluvio in *mari*
& in *fluviis privatis*; in *mari*, quia li-
tora privatis non assignabantur, indeque
publica erant, quicquid igitur litoribus
accedebat, id erat publicum: In *fluviis*
privatis, quia proprietas horum fluvio-
rum vicinis prædiis assignari solebat, ne-
que enim hic usus aliquis publico reser-
vabatur, uti in fluminibus publicis: Si
proinde *fluvius privatus* litem consti-
tuit inter duo prædia, non fluvius limes
est, sed medium alvei; adeo, ut si ripæ ali-
quid decedit finium regundorum agi
possit, ut restituantur pristini fines. Secus
ac in *flumine publico* l. 4. §. fin. l. 5. l. 6. fin. reg.

(3) *Per crustam*, quando portio ter-
ræ alii prædio vi fluminis avulsa in meo
radices egit, vel coaluit, ea mihi acqui-
ritur, si ager meus est arcifinius. Jam
enim ita una cum meo territorio portio
facta est, ut integra separari nequeat: At
pretium domino restitui debet, quia lo-
cupletior fierem ex re aliena.

(4) *Per alvei derelictionem*: si nimi-
rum flumen non paulatim, sed uno im-
petu

petu

petu derelinquit alveum, hic in agris arcifiniis cedit vicinis prædiis: Cum enim in agris arcifiniis alveus & ripæ vicinis propriæ, ac usus saltem fluminis publicus sit, sequitur, cessante flumine, adeoque cessante usu publico, omne jus utendi ad dominum redire.

(5) *Per insulas* in flumine publico natas; insulæ enim hæ vicinis cedunt si agri sunt arcifinii idque ex eadem ratione;

Not. Acquisitio domini in tribus posterioribus casibus æque cessat ut in alluvione,

(6) *Per accessionem*; quando nimirum rei nostræ principali pars quædam accedit minus principalis: tunc accessorium sequitur rem prævalentiorum.

Accessio hæc *vel jus* dat perpetuum, si separari res accedens integra nequit, *vel* temporarium, scilicet quam diu pars est totius: Nam si iterum separatur, res redit ad pristinum dominum.

Ratio hujus acquisitionis a natura est. Nam *priori* casu species rei quæ accedit in perpetuum perit: Facta res est pars rei prævalentioris, & quidem talis pars, quæ integra separari nequit; adeoque propriam qualitatem res illa per accessionem consecuta est, quæ antea non fuit, toti enim accedit: Si quis proinde vindica-

dicaret accessionem, vindicaret partem rei meæ; totum enim ad me pertinet:

Posteriori casu eadem quoque ratio obtinet quamdiu accessio consistit; unitas enim majoris partis consumit accessionem, res quæ accedit in sua specie non manet, indeque extincta quodammodo videtur; si quis igitur rem illam quæ rei meæ accessit vindicaret, peteret partem rei quæ jure totius mea est:

Adeoque hoc casu nullum aliud remedium superest, quam ut contra personam agam ut accessionem separet, & tunc, re separata, jure domini eam vindicare possim. Jam enim non amplius est pars totius, adeoque tota ratio acquisitionis cessat.

Prævalentior autem res est (I.) *sine qua altera esse non potest*: hinc (a) ædificium cedit solo, (b) tignum ædificio, (c) planta solo, (d) arbor fundo, modo radices egerit, (e) semen terræ, (f) pictura tabulæ, (g) scriptura chartæ, (h) tabula navi, (i) navis carinæ, (k) pes, manus, brachium, &c. statuæ.

(II) *Si quid ornandæ rei causa accedit*; uti (a) si purpura accedit vestimento, vel color lanæ: Hinc (b) gemma auro, & (c) gemma & unio vasi juncta, huic cedit.

§.

§. 76.

(1) *Causa* igitur dominii, non est ex jure gentium secundario, nedum ex jure naturæ pro certo rerum statu, sed ex jure naturæ quod cum humano genere originem cepit; (Vid. §. 74. n. 1.)

(2) *Subiectum* dominii sunt *homines*, etiam infantes & furiosi, qui non tantum continuant dominium, sed & noviter per tutores & curatores acquirunt: Non ergo *bruta*.

(3) *Objectum* dominii sunt res corporales, quæ in proprietatem venire possunt: Non ergo (1) res incorporales, nisi quatenus rei cohærent: nec (2) illæ, quæ in singulorum proprietatem venire non possunt. (Vid. §. 73.)

(4) *Effectus* dominii est (1) quod dominus pro lubitu de re sua disponere, eam pro arbitrio consumere, alienare, &c. possit, (2) quod eam defendere contra quemcunque tum armis, tum actione possit; quæ actio Romanis dicitur *Rei vindicatio*.

Intuitu aliorum autem effectus est (1) quod illi nullum jus in res alienas sibi arrogare, nedum illas auferre domino possint: (2) Quod si rem alienam teneant, eam domino restituere, i. e. jus suum cuique tribuere teneantur.

(5)

(5) Modi finiendi domini recensentur infra. §. 84.

Not. Per actiones reales tantum *res* quæ *nostra* est petitur; non etiam fructus ab alio percepti, nec impensæ, nec id quod interest, nec damna dolo vel culpa data; nam hæc separata actione personali, ex quasi contractu, delicto, vel quasi delicto, & ex variis caularum figuris petuntur, adeoque eorum specialis in libello mentio fieri debet: At jure Romano omnia hæc post litem contestatam in judicium deducta videntur; Unde rei vindicatio *arbitraria* dicitur.

§. 77.

III. Dominium acquirimus *JURE FAMILIÆ* i. e. jure successionis: Pater enim, qui solus jus familiæ habet, in eam assumit uxorem ea lege ut locia fiat; accedunt liberi per generationem: Hæ personæ corpus aliquod naturaliter constituunt, quod *familia* vocatur, quæ communionem jurium ex consensu & ex generatione infert.

Jura hujus corporis non pereunt quamdiu unus ex familia superest, adeoque mortuo patre liberi continuant familiam, i. e. succedunt in omnia jura familiæ.

(I.) Atque hinc jam tota ratio successionis naturalis apparet: **Primo enim certum**

tum

tum est, solus *liberos* succedere patri quia omne jus illius corporis subsistit in membris familiae, adeoque familia seu haereditas ipso jure dividitur inter liberos.

(II.) Non ergo jure naturæ succedit (a) *pater* liberis; liberi enim non habent familiam, sed sunt in familia, adeoque quicquid habent ad familiam pertinet, & quicquid acquirunt familiae acquirunt; pater igitur non succedit, sed jure patriæ potestatis res liberorum retinet: (b) Porro ex his constat nec *matrem* liberis, nec *liberos matri* succedere, quia neuter alterius continuat familiam, adeoque neuter jura familiae in alterum sibi arrogare potest. Hinc antiquo jure Romano pariter nec mater liberis, nec liberi matri succedebant. Nec (c) ad successionem vocantur *cognati*, i. e. qui per foeminas conjunguntur: Foeminae enim itidem non continuant familiam; hinc jure Romano cognati a Præatore demum deficientibus agnatis admissi fuere. Sed nec (d) *fratres* invicem succedunt, quia mortuo patre divisa est familia, & frater fratris familiam non continuat.

(III.) Effectus successionis hujus est, (1) quod haeres cum defuncto pro una habeatur

atur

atur persona; adeoque (2) hæres succedat in omne jus defuncti; (3) quod actiones hæredibus, & contra hæredes competant, quæ defuncto & contra defunctum dabantur. Ex eadem unitate personæ (4) sequitur, quod bona defuncti & hæredis confundantur, unumque fiat patrimonium, salvo creditoribus beneficio separationis.

(IV.) Notandum est, *successionem* ab intestato esse modum acquirendi domini, & hætenus pertinere ad jura in re: Sed præterea per illam *successionem* acquiruntur jura personæ, obligationes; &c. hætenus autem referri debet ad jura *quæ ex obligatione personæ descendunt*: (Vid. §. 147.) Atque hæc ratio est, cur petitio hæreditatis dicatur universalis & mixta; *universalis*, quia complexum jurium tum in re, tum ex obligatione personæ, continet: *Mixta*, quia non tantum dominium hac actione petitur, sed & præstationes personales, fructus percepti, damna data, &c.

§. 78.

(V.) An jus in re acquiritur *per successionem ex testamento*? Negatur: quia testamentum est dispositio unius de omni eo quod quis post mortem fieri vult; at post mortem cessat omnis dispositio: Unde testamenta, codicilli, & legata, ex jure Romano originem habent.

V.

§. 79.

V. An *per possessionem immemoriam* (cujus scilicet in contrarium non extat memoria) jus in re acquiritur? Negatur: quia ex longa possessione rei alienæ, adeoque ex solo lapsu temporis, nullum jus in re aliena acquiritur, sed augeatur potius injuria; aliud autem jure Romano statutum est.

§. 80.

VI. An constituta *servitute* jus in re aliena acquiritur? Negatur; sed sola actio personalis ex pacto oritur: Servitus enim nihil aliud est, quam pactum quo utilitas quædam in re aliena consensu domini mihi vel prædio meo conceditur: Adeoque hic quoque modus acquirendi jus *in re* est ex jure Romano; ubi ideo dantur actiones confessoria & negatoria.

§. 81.

VII. An, si res *pignori* datur, jus inde in ipsa re constituitur? Negatur; Sed actio ex pacto, adeoque personalis saltem, inde datur, etiam jure civili: Prætor demum jus in re ex tali pignore oriri voluit, ideoque actionem Servianam vel quasi Servianam dedit.

§. 82.

An is, qui *possidet* absque titulo, *ius in re* habet? Negatur; contradictio enim est *ius in re* habere, neque tamen titulum
pos-

possessionis docere posse. Is enim qui *jus in re* allegat, asserit rem jure suam esse, id autem asserere nequit qui titulum juris non habet, qui prædo est. &c.

At *jus ex facto possessionis* aliquod possessori competit, ne alius, qui neque facto neque jure potior est, turbare possessorem possit: Hactenus autem possessio *ex obligatione personæ* descendit, *ex variis nimirum causarum figuris*: (§. 154.) Hinc actio saltem personalis inde datur, quæ jure Romano vocatur *interdictum*; quod datur personæ quæ turbatur in facto possessionis, contra eos qui possessionem turbant, vel auferunt,

§. 83.

Atque ex his apparet, omnia dominia utilia & civilia, ut in *feudis*, in *emphyteusi*, *superficie*, *dote*, *publiciana*, &c. esse juris Romani.

§. 84.

Amittitur dominium (1) morte; (2) voluntate domini, si v.g. rem alienat & eam tradit, si eam derelinquit; &c. (3) rei interitu; (4) mutata specie. Non (5) per nudam inundationem; nec (6) per jactum; nec (7) amissa sola possessione, nec (8) præscriptione. (secus jure Romano) An (9) per sententiam judicis injustam? Affirmatur in foro soli, sed non in foro poli.

Li-

Liber V.

De jure quod hominibus competit ex obligatione personæ.

Examinavimus jus quod hominibus competit (1) ex *statu hominum*, & (2) in *res terræ*: Superest (3) ut exponamus jus quod hominibus competit *ex obligatione personæ*, & unde descendunt *actiones personales*: Quæ tertium objectum juris constituunt. §. 2. *Inst. de jur. nat. gent.*

CAPUT I.

De definitione & origine obligationis personæ.

§. 85.

Obligatio personæ est vinculum juris, quo quis necessitate adstringitur ad aliquid agendum vel præstandum.

§. 86.

Omnis obligatio personæ descendit vel ex *contractu*, vel ex *delicto*, vel proprio quodam jure ex variis causarum figuris.

§. 87.

Causa harum obligationum ex ratione naturali sequitur.

Ex præcedentibus enim constat Deum

D

cui-

cuique hominum facultates quasdam habendi vel agendi concessisse, adeoque hæc jura cuique hominum propria & quæsitæ esse. (§. 5. 6. & 10.)

Hinc tria sequuntur; (1) quod homo pro lubitu de suo jure disponere, ac voluntate sua illud, sive pacto sive traditione, in alios transferre possit: (2) Quod nemo alius jus sibi in has facultates a Deo cuique concessas arrogare, vel utilitatem ex illis, invito altero, percipere possit: (3) Quod nemo dolo aut culpa jura cuique hominum quæsitæ lædere possit.

Atque ex his simplicissimis naturæ principiis tota ratio obligationum personalium nititur; quod nunc demonstrandum est. §. 88.

Primo enim diximus jura quædam naturali ratione hominibus quæsitæ, speciatim autem cuique hominum jus concessum esse in suas res & actiones: Diximus quoque hominem pro lubitu de illo jure disponere posse.

Si proinde homo de suo jure ita disponit, ut vel se aliquid facturum, vel rem alii daturum promittat, ex eo momento jus hoc ejus esse desinit; adeoque quamdiu fidem datam non implet jus alienum penes se habet, quod alii debet, & quod æs alienum

num

De obligatione personæ in genere. si
num vocatur: Atque hoc debitum affi-
cit ipsum promittentis patrimonium.

Econtrario, omne jus quod disponens
habuit transit in alterum, cui proinde
aliquid *debetur*; ideoque *creditor* dicitur a
credere (cuicunque enim rei assentimur
alienam fidem secuti, mox recepturi
quid ex hoc contractu *credere* dicimur.
(*l. 1. ff. de rebus creditis*) Atque
hoc *creditum* in bonis ejus est, & sub pa-
trimonio ejus continetur, ac *æs credito-
ris* vocatur; hinc qui jus petendi habet
jus illud apud se habere dicitur. Quam-
diu igitur jus illud creditori non præstatur,
minus suo habere videtur, & aliquid ex
bonis ei abest.

Atque hæc est ratio obligationis quæ
ex *PACTO* seu *CONTRACTU* oritur.

§. 89.

SECUNDO, si alius ex re vel actione
mea, in quam ei nullum jus competit, u-
tilitatem aliquam percipit, adeoque locu-
pletior fit mea jactura, is plus suo habet,
jus alienum tenet, æs alienum in patrimo-
nio habet; mihi autem aliquid abest, jus
meum deminutum est: Actio igitur mi-
hi competit ad petendum id quod mihi
abest, & alter obligatur ad præstandum
id quod plus suo habet, idque ex regula
naturæ generali quæ jus suum cuique tri-
bui vult.

D 2

At-

Atque hæc obligatio descendere dicitur ex variis causarum figuris, in specie autem *QUASI EX CONTRACTU*.

§. 90.

TERTIO, si quis *ex proposito* jus mihi a natura concessum violat, injuriam committit *tum* in Deum, qui cuique hominum jus tale concessit, & cujus voluntatem creatura intervertere nequit; *tum* in homines, quibus dolo suo jus illud minuit: Hanc injuriam igitur reparare lædens, eoque jus suum cuique tribuere debet:

Atque hæctenus obligatio dicitur oriri ex *VERO DELICTO*.

§. 91.

QUARTO, si non dolo, sed *culpa* saltem delinquentis, jus alterius violatum est, itidem reparatio fieri debet, æque ac in delicto: Nam *culpa* quoque factum illicitum est, potuisset enim & debuisset providere. Damnum igitur culpa, adeoque facto illicito datum reparari, i. e. jus suum cuique tribui debet.

Et hæctenus actiones dicuntur oriri ex variis causarum figuris, & speciatim ex *QUASI DELICTO*.

§. 92.

Obligare se possunt omnes qui perfectum iudicium habent; non ergo infantes

tes

De obligatione personæ in genere. 53

tes ac furiosi absque tutore; nec cum effectu illi qui alterius dominio subjecti sunt, ut servi.

§. 93.

Acquirere ex obligatione possunt pariter omnes qui rationis usum habent: Non ergo infantes, nec furiosi, absque tutore; nec servi, qui acquirunt domino etiam invito, & ignorantibus.

§. 94.

Obligantur quoque hæredes, quoties ex lædenti patrimonio debetur, vel læsi patrimonio aliquid deest.

§. 95.

Objectum obligationum personæ est DEBITUM, seu id quod ex præcedentibus causis debetur.

§. 96.

Effectus igitur huius juris ex obligatione personæ quæsitæ, *INTUITU CREDITORIS* est, quod *actio* ei detur.

ACTIO hic definitur jus persequendi in iudicio id quod nobis *debetur* vel ex contractu, vel ex delicto, vel ex variis causarum figuris.

Effectus *INTUITU DEBITORIS* est, quod is obligetur ad præstandum vel faciendum id quod nobis debet ex prædictis causis.

Si quis agit ad id quod ex patrimonio sibi abest, actiones dicuntur *rei persecutoriae*: Si nihil ei ex bonis abest, jus tamen ejus læsum est, uti si corpus, fama, securitas (publica, &c.) læditur, actiones dicuntur *pœnales*; quibus agitur ad id ut tantundem mali patiatur lædens quantum dedit.

§. 97.

Obligatio personæ tollitur I. *Solutione*; qua debitum ita ad creditorem pervenit, ut ab eo repeti non possit. Jam enim nemini aliquid abest, & nemo plus vel minus suo habet.

I. *Remissione debiti*: Remittitur autem debitum (a) per *acceptilationem*, qua creditor id quod sibi debetur acceptum se ab eo habere promittit: Nam tunc quoque creditori nihil amplius abest, quod ei tribui debeat.

Jure Romano requiritur ut *verbis solennibus* id fiat, (unde etiam tantum id quod *verbis* debetur acceptum ferri potest.) Deficientibus verbis solennibus, actio inde non datur, sed exceptio; (secus ac in reliquis stipulationibus inutilibus;) atque hæc ratio est cur acceptilatio dicatur esse juris gentium.

(b) Per *novationem*, quæ est prioris debiti in aliam obligationem facta transfusio;

lio;

fio; tunc enim prior obligatio consensu mutuo sublata est, & ex ea nihil amplius debetur.

Jure Romano hæc *novatio* itidem verba solennia requirit, unde sola verborum obligatio novari potest: Si verba deficiunt, nec exceptio inde datur.

Species novationis est (c) *delegatio*, qua mutata persona debitoris, vel creditoris, vel utriusque, idem promittitur:

Remittitur quoque (d) debitum per *aggratiationem*, qua Magistratus reo gratiam facit delicti: Ea autem saltem obtinet in delictis civilibus, non si natura reus pœnam meretur; nec fieri potest in præjudicium tertii.

III. Tollitur obligatio *dissensu utriusque*, si solo consensu contractus constet: neutri enim hoc casu jus aliquod abest.

IV. *Confusione*; cum creditor ac debitor, vel reus ac fidejussor, alter alteri hæres fit; quia eadem persona esset & debitor & creditor.

V. *Compensatione*; quæ est debiti & crediti puri, utrinque æqualis, & liquidi, inter se contributio: Neutri enim hoc casu aliquid abest, & nemo plus suo habet.

VI. *Interitu rei*, si *res* debita perit; quia impossibilis est præstatio.

VII. *Interitu speciei*, nam sublata specie jus materiæ interit, adeoque res ipsa; neque enim nova species promissa est.

VIII. *Deficiente conditione*; nam cessante conditione, sub qua aliquid promittitur, nullum jus in alium translatum est.

IX. *Morte*, si non patrimonio, vel non ex patrimonio debetur; mors enim omnia solvit.

X. *Revocatione seu renunciatione unius*, si negotium perfectum, at nullum in alterum jus translatum, vel si translatum finitum est, adeoque ei nihil abest: Sane cum actiones personales dentur ad id quod interest, frustra actio institueretur si alterius nullatenus interesset: Hinc revocatio valet in *mandato & deposito*, quia onus saltem ex hoc pacto translatum est: Item in *societate*, quæ nihil aliud est quam mutuuum mandatum; sed & in *precario*, quod ea lege datur ut quândocunque revocari possit.

XI. *Pœnitentia unius*: Quando negotium ab una parte perfectum est, ab altera vero imperfectum; ut in *contractibus innominatis dandi*. Cum enim ea lege datur ut vicissim detur, negotium ipsum intuitu dantis imperfectum est quamdiu accipiens non vicissim dedit, adeoque dans pœnitere potest.

Idem

Idem quoque obtinet in *transactione*, quæ nihil aliud est quam contractus innominatus:

Aliud igitur obtinet in contractibus *innominatis faciendi*; quando enim feci ut alter det vel faciat pœnitere, i. e. condicere factum non possum, quia factum infectum fieri nequit.

Hinc jam constat ratio, cur in contractibus nominatis nunquam uni pœnitere liceat, quia negotium semper utrinque ibi perfectum est ex quo consensus adest, ex eo enim momento utrique jus quæsitum est, quod alteri invito auferri nequit: Neque hic, ut in contractibus innominatis, perfectio negotii dependet ab implemento alterius.

XII. Si reus *talionem semel passus*, adeoque injuria per passionem tantundem mali reparata est.

XIII. *Lege*, si ob utilitatem publicam, aut in favorem imbecillitatis, vel obligatio ipsa tollitur, vel saltem actio; Tollitur autem *obligatio ipsa* (1) in usucapione; (2) si res judicata est injuria judicis; (3) si uxor intercedit pro marito; (4) si filius familias, vel (5) minor contrahit: *Actio* vero saltem tollitur in obligationibus quæ pacto nudo contrahuntur; & in confusione, quando nimirum creditor &

debitor, item reus ac fidejussor, invicem succedunt, &c. §. 98.

Qui obligatus est ad aliquid faciendum vel præstandum, etiam tenetur ad *fructus*, ad *usuras*, ad omnem *causam*, ad *impensas*, ad *accessiones*, seu id quod interest, ad *dolum & culpam*, non ad *casum*.

Not. Jure naturæ ex singulis harum caularum propriæ actiones dantur: Jure Romano autem omnes hæ causæ peti possunt actione ex ipso contractu si negotium est *bonæ fidei*, non si est *stricti juris*.

CAPUT II.

De jure quod hominibus competit ex promissione, i. e. ex pacto & contractu.

§. 99.

Diximus jus competere hominibus ex obligatione perlonæ, *vel* quia illa *promisit*, seu *contraxit*; *vel* quia *deliquit*; *vel* ex *variis causarum figuris*.

Primo igitur agemus de jure quod hominibus competit ex pacto seu contractu.

§. 100.

Pactum est duorum in idem placitum consensus.

§.

§. 101.

Pacta (a) sunt vel publica vel privata, (b) vel realia vel personalia, (c) vel expressa vel tacita, (d) vel unilateralia vel bilateralia.

(1) *Publica* pacta sunt, quando partes de negotio & causa publica aliquid promittunt; uti (1) si duæ summæ potestates *fœdus* contrahunt. (2) Si dux belli cum hoste paciscitur de finiendo bello, quod pactum *sponsio* vocatur; nec valet nisi Princeps vel civitas ratihabuerit: (3) Si magistratus, & duces belli, aliquid promittunt quod sub officio eorum continetur.

Privata sunt, quando partes de re vel causa privata aliquid promittunt.

(2) *Personalia* sunt quæ ad solam personam restringuntur, *realia*, quæ rem ipsam afficiunt.

(3) *Expressa*, quæ verbis explicantur: Sub verbis autem etiam continentur ea quæ ex fine, & mediis necessitate sequuntur. *Tacita*, quæ ex facto, unde de voluntate paciscentium satis constare potest, inferuntur: uti si signis, nutu &c. voluntas declaratur, non si alter filet.

(4) Pacta *unilateralia* sunt, ubi ex una saltem parte quis obligatur, ut in pacto donationis, in mutuo: &c. *Bilateralia*,
ubi

ubi ab utraque parte obligatio est, ut in emptione venditione, in locatione conductione. &c.

§. 102.

Causam hujus juris ex promissione quaesiti a natura esse diximus: (§.87.) Naturali enim ratione cuique hominum jus in suas res, in suum corpus, & in suas actiones concessum est; quo posito, simul facultas cuique concessa videtur pro lubitu de hoc jure disponendi.

Si proinde quis ita disponit ut rem suam alii promittat, ut utilitatem suæ actionis, sui que corporis, in alium transferat, hoc jus ejus esse desinit, & ex voluntate disponentis jam fit alterius.

Hoc jus ergo incipit esse in bonis ejus cui promissum est, (unde æs suum dicitur,) ei aliquid, quamdiu promittens non facit aut præstat id quod promisit, abest; petere igitur & exigere id a promittente potest; i. e. *actio* ei datur ex pacto.

Promittens autem ex momento dispositionis, qua jus suum in alterum transtulit, plus suo, & æs alienum in bonis suis habet, unde *obligatur* ad jus illud tribuendam ei, in quem id voluntate sua transtulit.

§. 103.

In pactis requiritur I.) utriusque consen-

sen-

De obligatione personæ ex promissione. 61

lensus; hinc jus in alium non transfer-
tur (a) ex pollicitatione, nec (b) ex ac-
ceptatione tertii, nec (c) ex testamento,
nec (d) ex reservatione mentali.

II.) Ut consensus ille satis sit declara-
tus, etsi forte causa sit erronea, (modo
non in substantia sit erratum,) vel turpis.

§. 104.

Pacisci possunt omnes qui se obli-
gare possunt, i. e. qui maturum judi-
cium habent.

§. 105.

Promitti potest omnibus qui usum ra-
tionis habent; etiam latroni, piratæ, præ-
doni, tyranno, hosti, subditis rebellibus,
perfidis, & perjuris, nedum hæreticis:
Nam his fides qua talibus datur, eoque
jus in eos qua tales, & a scientibus tales
esse, translatum est:

§ 106.

Objectum pactorum sunt (1) *res*, (quo
etiam pertinent spes, & periculum, seu
alea,) etsi alienæ: (2) *Facta* propria, (non
aliena,) possibilia. &c. Non ergo quæ
turpia sunt, vel injusta; etsi promissa ob
causam turpem facta valeant.

§. 107.

Effectus pactorum *intuitu creditoris* est,
quod **ACTIO EX PACTO SEU CON-**
TRACTU inde detur contra debitorem,
ut

ut faciat vel præstet quod debet, i. e. ut præstet jus illud quod sua voluntate in agentem transtulit.

Intuitu debitoris effectus pacti est **OBLIGATIO**; quæ est vinculum juris, quo quis necessitate adstringitur ad faciendum vel præstandum id quod debet, i. e. ad præstandum jus quod sua dispositione alterius esse voluit.

Unde constat obligationem de re promissa præstanda non ex *jure in re* oriri, sed ex *jure ad rem*, & actionem, quæ inde datur, esse merè personalem.

§. 108.

Jure naturæ, quoad effectum obligationis, nulla differentia est inter *pacta* & *contractus*; ex utrisque enim æque *jus agendi* competit: At jure Romano ob utilitatem publicam constitutum est, ne ob quamlibet promissionem actio daretur, sed tantum *si causa quedam promittendi* subest; (quam causam Græci *συνάλλαγμα* vocant) publice enim interest ne cives temere sua jactent; §. f. *Inst. de his qui sui* & c. atque talia negotia *ICTi contractus* dixerunt: Si proinde *causa* non suberat, actio non dabatur, sed saltem exceptio; atque hæc negotia *pacta nuda* vocabant:

Contractus autem iisdem *ICTis* sunt *vel nominati, vel innominati*: Cum enim
jure

jure naturæ omnia pacta, omnesque contractus, sint *innominati*, ita ut naturane-
gotii ex descriptione facti demum co-
gnosci potuerit, Romani quædam negotia,
quæ quotidiana sunt, exceperunt, iisque
certam formam, certumque *nomen* de-
derunt, ex quo *nomine* de natura nego-
tii constaret. Si proinde inter partes di-
ctum est, v. g. rem *venditam* esse, ex hoc
nomine apparet inter partes convenisse
ut res pro certo precio tradatur: De u-
trisque contractibus jam separatim age-
mus.

SECTIO I.

De contractibus nominatis.

§. 109.

CONTRACTUS NOMINATI sunt vel
reales, vel *consensuales*, vel *verbales*,
vel *literales*.

§. 110.

CONTRACTUS REALES sunt qua-
tuor; *mutuum*, *commodatum*, *depositum*, &
pignus.

Mutuum est contractus realis, quo res
fungibilis ita alii datur, ut is tantundem
in eodem genere & bonitate restituat.

Commodatum est contractus realis, quo
res gratis utenda ita traditur, ut in eadem
specie finito usu restituatur.

Depo-

Depositum est contractus realis, quo res gratis custodienda ita traditur ut eadem quandocunque restituatur.

Pignus est contractus realis, quo possessio rei ita traditur pro debito ut hoc soluto restituatur, non soluto ritè distrahatur.

§. III.

CONSENSUALES contractus sunt *emptio venditio, locatio conductio, mandatum, & societas.*

Emptio venditio est contractus consensualis de re pro certo pretio tradenda.

Locatio conductio est contractus consensualis, de usu rei pro certa mercede concedendo vel præstando.

Mandatum est contractus consensualis, quo quis negotium alterius, ab hoc sibi commissum, gratis suscipit.

Societas est contractus consensualis, quo agitur de communicando invicem lucro vel damno rei, vel negotii honesti.

§. 112.

VERBALES contractus per stipulationem fiebant; *Stipulatio* autem est eorum quæ rogata sunt, inter præsentem, incontinenti, ob causam, verbis facta promissio.

Species stipulationis sunt (1) correalis obligatio; (§. 120.) (2) fidejussio (§. 121.) (3)

(3) novatio & delegatio (§. 96.) (4) acceptilatio. (§. 96.)

§. 113.

LITERARUM OBLIGATIO est contractus nominatus, quo quis adhibitis verbis solennibus literis promittit se restitutum pecuniam, quam se vel alium accepisse fatetur.

Not. in utroque contractu obligatio, quatenus ex *consensu* est, oritur ex jure naturæ; *verba* autem, & *solennes formulæ*, sunt ex jure Romano.

SECTIO II.

De contractibus innominatis.

§. 114.

Omnes reliqui CONTRACTUS, qui certum nomen non habent, dicuntur INNOMINATI; jure naturæ enim contractibus certum nomen datum non esse dictum est; Sed actiones juxta præscripta verba disponentium, seu juxta expositionem facti, instituebantur; unde etiam actiones ex talibus negotiis descendentes *de præscriptis verbis*, vel *in factum* appellabant Romani:

Contractus innominati sunt vel *do ut des*, vel *do ut facias*, vel *facio ut des*, vel *facio ut facias*:

§. 115.

Sunt præterea duò contractus innomi-

E

mi-

minati, qui speciale nomen habent: (a) *Æstimatorius*, quo res certo pretio æstima-
mata datur vendenda, ea lege, ut acci-
piens vel rem illam reddat, vel pretium
conventum solvat: (2) *Permutatio*, quan-
do res cujuscunque generis datur, ut pro
illa accipiens vicissim det rem aliam, si-
ve ejusdem sive diversi generis.

SECTIO III.

De accessionibus conven- tionum.

§. 116.

Pactis aliquando accedere solent cau-
tiones, nimirum (1) jusjurandum,
(2) pignus, (3) fidejussores, (4) correi,
(5) obsides. Sed & (6) conditio, modus,
& dies, pactis adjici solent.

Omnes hæ accessiones eodem funda-
mento nituntur quo ipsa promissio prin-
cipalis, jus enim ex consensu in alterum
transfertur.

§. 117.

JUS JURANDUM est assertio religi-
osa ad id quod promittitur, vel asserti-
tur, confirmandum adhibita.

§. 118.

PIGNUS definivimus Sectione I.

§. 110.

§. 119.

§. 119.

CORREI sunt vel *credendi*, quando pluribus idem in solidum debetur; vel *deben- di*, quando plures personæ uni, eandem rem, ex eadem causa, in solidum debent. Jure Romano hic verba requiruntur so- lennia.

§. 120.

FIDEJUSSIO est contractus verbalis, quo quis obligationem alterius, in majorem creditoris securitatem, in fidem suam recipit.

Similis fidejussori est *mandator*, qui mihi mandat, ut alii pecuniam solvam. *L. 32. ff. Mand. Et Rubr. ff. de fid. ej. & mandatoribus.* Similis quoque est *constituens*, qui nudo pacto promittit se suum vel alterius debitum soluturum. *L. 3. C. const. pec. ibique Goth.*

§. 121.

OBSIDES sunt, qui se pro alieno debi- to carceri offerunt.

§. 122.

Conditio est oratio quæ quid suspendit in futurum eventum, incertum an sit ex- stiturus.

§. 123.

Dies est tempus certum quod sit existi- turum, sed incertum quando.

§. 124.

Modus est causa finalis propter quam aliquid fit vel præstatur; uti si alicui pro- mitto io. ut monumentum mihi exstruat.

E 2

SE-

SECTIO IV.

De interpretatione promissionis dubiæ.

§. 125.

Cum omnis pactorum obligatio oriatur ex consensu, merito quæritur quomodo modo interpretatio fiat si consensus ille dubius sit, & alter hoc sensu, alter alio, verba vel facta explicet?

Resp. Cum voluntas vel verbis vel factis declaretur, & utraque dubia esse possit, diveriæ sunt interpretationum regulæ.

Si *VERBA* dubia sunt I. regula generalis est *quod is sensus verborum valeat quem contrahens scit alterum intelligere*: tunc enim vere utriusque consensus adest in idem placitum: Si proinde alio sensu quis verba contractus sciens accipit, fallaciam committit.

II. Si uterque in bona fide sit, & contrahens neget sibi cognitum fuisse alterum tali sensu verba intellexisse, verba sumi debent *ex usu communi*: Adeoque interpretatio fit contra eum qui usum illum communem scit, vel scire debet.

III. Verba interpretationem recipiunt ex fine negotii promissi, sic qui *iter* permittit,

mittit,

mittit, *reditum* quoque *permittere* videtur.

IV. Denique interpretatio quoque fit *ex mediæ necessitate*, si nimirum finis promissialiter obtineri nequit, qui enim vult finem vult quoque media.

§. 25.

Si *FACTA* quibus quis voluntatem declaravit dubia sint, interpretatio fit (1) *ex usu communi*, vel inter gentes, vel in illa civitate recepto: (2) *Ex actionis fine*: Si nimirum finis is est actioni necessarius. Hinc qui chirographum reddit, debitum remittere videtur; qui pignus reddit solam securitatem remittit.

§. 127.

Atque ex his constat, regulas interpretationum, quas Grotius toto capite XVI. late explicavit, præter eas quas proposuimus, nullum in jure naturali usum habere, sed ad Rhetoricam pertinere, & docere qua ratione argumentum amplificari possit.

CAPUT III.

De jure quod hominibus competit ex delicto alterius.

§. 128.

Altera causa obligationis personæ descendit ex *DELICTO*.

§. 129.

§. 129.

Delictum in genere est factum *dolo* vel *culpa* admissum quo jus alterius læditur.

§. 130.

Delinquitur igitur non tantum ex *proposito*, sed & *culpa*; quia, cum quis *providere* potuit & debuit jus alterius inde lædi, factum illicitum est si non omnem adhibet diligentiam.

De priori specie, quæ *verum delictum* appellari solet, hoc capite; de posteriori, quæ *quasi delictum* vocatur, sequenti capite, Sectione 2. agetur.

§. 131.

Causa hujus obligationis ex jure naturæ est; diximus enim cuique hominum naturali ratione & ex concessione creatoris jus competere in suum corpus, actiones & res: (§. 89.) Hoc posito, necessario sequitur neminem in has meas facultates jus sibi arrogare, adeoque corpus meum lædere, vel actionibus aut rebus meis vim inferre posse. Si quis proinde ex proposito, contra intentionem naturæ jus meum lædit, injuria agit, indeque obligatur ad ejus reparationem i. e. tenetur jus suum cuique tribuere;

§. 132.

Delinquere possunt homines, (non bruta) rationis usum habentes; (non ergo
su-

furiosi & infantes, nisi quatenus locupletiores facti sunt:)

§. 133.

Objectum delictorum sunt facta dolo vel culpa admissa, quibus jus alterius. i. e. tum *Dei*, tum *hominum*, læditur.

Jus *Dei* læditur, cum aliquid contra cultum ei debitum & contra jus quod ei in creaturas competit admittitur (§. 9. & 23.)

Jus *hominum* læditur non tantum si damnum bonis eorum datur, sed &, si corpus, si fama, vel quodlibet aliud jus læditur.

§. 134.

Effectus delictorum *intuitu læsi* est, quod ei detur **ACTIO EX DELICTO** quæ est jus persequendi id quod alter ex delicto debet:

§. 135.

Effectus *intuitu lædentis* est **OBLIGATIO**, seu vinculum juris, quo adstringitur ad reparandum jus alterius quod læsit, (1) restituendo damnum, (2) patiendo tantundem mali quantum fecit.

Hæredes non obligantur ex delicto defuncti, nisi quatenus ex patrimonio defuncti debetur:

§. 136.

Finitur obligatio quæ ex delicto descendit, (1) morte delinquentis, nisi hic

E 4

ex

ex patrimonio suo debeat, vel aliquid læsi patrimonio defit; (2) remissione læsi (qui tamen non præjudicat fisco,) (3) aggratiatione, (modo naturali jure talio non fit statuta.) (4) Si reus talionem semel passus est.

§ 137.

Not. Jure naturali nulla est differentia inter delicta quoad principia obligationis; At jus Romanum delicta divisit in *publica, privata, & extraordinaria.*

§. 138.

Publica sunt, ubi cuique e populo jus est agendi, & certa pœna lege est statuta: Eoque Jcti Romani retulerunt (a) *Crimen læsæ majestatis divinæ*, quando contumelia in iptum Deum committitur: (b) *Sacrilegium*, quando res sacra, i. e. Deo dicata surripitur: (c) *Perjurium* quando promissio vel assertio, quæ fit Deo teste, violatur: (d) *Crimen læsæ maiestatis seculare*, seu *Perduellio*, quæ est machinatio hostilis in rem publicam, vel principem, suscepta: (e) *Adulterium*, quod est thori alieni violatio: (f) *Sodomia*, quæ cum bruto vel cum eodem sexu fit: (g) *Fornicatio*: (h) *Incestus*: (i) *Homicidium*; Si in liberos vel parentes committitur dicitur *Parricidium*. (k) *Falsum*, quod est factum quo id quod esse debet,

debet,

debet, vel fieri debuit, dolo mutatur in præjudicium alterius: (l) *Vis publica*, quæ fit vel armis, vel in publicam personam, vel per stuprum violentum, vel per raptum: (m) *Vis privata*, quæ est vis minus atrox & simplex: (n) *Peculatus*; quod est furtum pecuniæ publicæ, seu fisco ablata: (o) *Plagium*. (p) *Ambitus*: (q) *Lex repetundarum*: quando in munere aliquo positus accepit aliquid quo minus vel magis bene munere fungatur: (r) *Annonæ fraudatio*, (s) *Crimen de residuis* quando quis pecuniam publicam ex administratione ejus penes se retinuit, nec ad usum debitum erogavit: &c.

§. 139.

Privata sunt, ubi actor persequitur jus suum privatum: eaque sunt quatuor; (1) *Furtum*, quod est contrectatio fraudulosa rei alienæ, lucri faciendi causa invito domino facta: Jcti Romani, pro varia rerum vel locorum qualitate, varias actiones furtorum dedere, ut rerum amotarum, de tigno juncto, &c. (2) *Rapina*, quæ est furtum rei mobilis vi raptæ: (3) *Damnum injuria datum*, si damnum in re aliena, non animo lucrandi, datur quavis culpa: quod damnum vindicatur vel actione ex *lege Aquilia*, si damnum corpore, vel in corpus datum est; vel

E 5

actione

actione in factum, quando nec corpore nec corpori nocitum, damnum tamen datum est. (4) *Injuria*, quoties nimirum aliquid fit in alterius contumeliam:

§. 140.

Extraordinaria sunt, ubi is qui læsus est agit ad pœnam extraordinariam, arbitrio judicis infligendam. Indèque differunt (1) a *publicis delictis*, ubi quis e populo agit, & in quibus certa pœna lege est statuta; (2) a *delictis privatis*, ubi solus læsus agit, & quidem ad *sui juris* reparationem;

Ad extraordinaria delicta pertinent *stellionatus*, *concessio*, *abigeatus*, *prævaricatio*, *effractio hereditatis*, *expilatio*, &c.

§. 141.

Dictum est, delinquentem non tantum obligari ad damni dati restitutionem, sed & ad pœnam; (vid. §. 135.)

Pœna autem est malum pœnitentiæ propter malum actionis; Ejusque mensura est *Talis*, quia tantundem mali quis pati debet quantum fecit: Proportio igitur esse debet inter pœnam & delictum.

Pœna autem aut *corpus* afficit, ut pœna capitis, vel quæ corporis coercionem continet; aut *bona*, si cum læso nihil e patrimonio abest, lædens de suo solvit; aut *alio bono aliquem privat*, uti si reum
privat

privat libertate, civitate, dignitate, fama &c. L. 6. §. 2. & leg. seqq. de pœn.

Pœna suos saltem tenet autores, adeoque ad hæredes non transit; nisi ex defuncti patrimonio debeatur.

CAPUT IV.

De jure quod hominibus competit proprio quodam jure ex variis causarum figuris.

§. 142.

Hactenus, methodum Juristorum Romanorum secuti, explicavimus obligationes quæ (1) ex pacto & contractu (2) ex delicto oriuntur: Sequuntur nunc obligationes quæ (3) proprio quodam jure ex variis causarum figuris descendunt.

Tribonianus in Institutionibus has obligationes ad duas classes refert, nimirum ad *quasi contractus* & ad *quasi delicta*: At generalior est rubrica Digestorum; & latius patent obligationes quæ ex *variis causarum figuris* oriuntur:

Obligationes enim quæ ex *quasi contractu* oriuntur nituntur illa regula, quod nemo debeat locupletior fieri cum alterius jactura; & illæ quæ ex *quasi delicto* de-

descendunt, oriuntur ex mala electione, ignorantia, &c. adeoque ex culpa:

At infinita sunt alia negotia quæ ad neutram classem referri possunt, & tamen obligationem producunt: Hinc notanter Modestinus in l. 52. ff. O. A. ait, nos, præter consensum & peccatum, obligari *ex lege, ex jure honorario, & ex necessitate.*

§. 143.

Ut vero ordine procedamus, primo agemus de obligatione ex quasi contractu. (Vid. Sect. I.) Secundo de obligatione ex quasi delicto. (Vid. Sect. II.) Tertio de obligatione ex aliis causarum figuris. (Vid. Sect. III.)

SECTIO I.

De jure quod hominibus competit ex quasi contractu.

§. 144.

Altera obligationum causa est *QUASI CONTRACTUS*: Qui est factum licitum quo quis citra pactum locupletior fit cum alterius jactura

§. 145.

Omnis igitur obligatio quæ *quasi ex contractu* oritur, nititur illa generali regula: *Quod nemo locupletior fieri debeat cum alterius jactura.* (§. 88. & 142.)

Sane

Sane cuique naturali ratione, adeoque ex voluntate creatoris, jus quæsitum est in suas res & actiones; unde sequitur ei soli concessam esse facultatem ex re & actione sua utilitatem percipiendi; & e contrario, neminem alium jus in illas res & actiones sibi arrogare, aut lucrum aliquod ex illis percipere invito domino posse.

Si proinde alius ex re vel actione mea lucrum penes se habet, ultra suum & plus suo habet, jus alienum tenet, eoque injuriam committit, impingit in voluntatem creatoris qui hoc jus mihi proprium esse voluit; adeoque ex regula justitiæ naturali injuriam illam reparare, utilitatem ei cujus est restituere, i. e. jus suum cuique tribuere tenetur. (§. 88.)

Hæc igitur obligatio non oritur ex consensu, nec tacito; sed ex natura actus, quia quis jus alienum tenet: Unde etiam infantes & furiosi hic obligantur: Hanc obligationem Icti Romani *ex quasi contractu* descendere dixerunt, quia eodem modo obligatio inde oritur, ac ex contractu.

§. 146.

Effectus *quasi contractuum* est (1) quod **ACTIO EX QUASI CONTRACTU**, i. e. jus persequendi, detur ei cui ex facto
alte-

alterius licito aliquid abest, contra eum qui ex facto illo locupletior factus est cum iactura alterius: (2) Quod is qui locupletior factus est cum iactura alterius **OBLIGETUR** ad restitutionem ejus quod alteri abest. §. 147.

Ad quasi contractus pertinet (1) *negotiorum gestio*, quando quis alterius absentis vel ignorantis negotium gerendum sine mandato suscipit.

Ex hoc negotio *actio negotiorum gestorum* datur & ei, cujus negotium geritur, & gerenti: *Illa* vocatur *directa*, quæ datur contra gerentem, ad rationes reddendas, i. e. ad restituendum id in quo gerens locupletior factus est ex re absentis vel ignorantis; *hæc* *contraria*, quæ datur ad impensas & damna, contra eum, qui ex mea gestione semel locupletior factus est.

1. Atque ex hac ratione jure Romano (2) *actio funeraria* originem cepit; quæ datur ei qui expensas in funus alienum fecit, contra eos quorum officium est funus defuncto facere, horum enim negotium gerere videtur: Hæc actio itidem est *directa*, vel *utilis*.

Jure naturæ talis actio cognita non est; sepultura enim naturali ratione non est necessaria: Et ad id ut corpus terra degatur

gatur

gatur vix est ut sumtus erogari naturaliter possint.

2. (3) Ad quasi contractus quoque pertinet *Tutela*; quando quis negotium gerit ejus qui per ætatem se ipsum defendere nequit.

Ex tutela oritur actio tutelæ *directa*, quæ datur pupillo contra tutorem finita tutela ad reddendas rationes; & *contra-ria* quæ tutori contra pupillum datur ad recipiendas impenſas & damna. (§. 54.)

3. (4) *Condictio*; per quam quis rem vel jus quod in alium transtulit, ideo, quia vel *indebite* & *per errorem* solvit, vel quia *nulla causa* subest, vel quia causa *turpis* & *injusta* est, repetit: Omnibus enim his casibus locupletior quis fieret cum jactura alterius.

Anne rei vindicatio datur ei qui *rem* per errorem &c. in alium transtulit? Negatur; nam ad dominium transferendum sufficit voluntas domini; & *aliud* est translatio domini, *aliud* causa ex qua transfertur: Desinit igitur dominus esse, at actionem personalem habet contra alterum, qui vel *ex errore* meo, vel *ex injusta*, vel *sine causa*, locupletior est factus cum mea jactura.

4. (5) *Aditio hæreditatis*: Nam hæredes adeundo hæreditatem obligantur quasi
fi

fi ex contractu ad præstandum vel faciendum id quod defunctus præstare vel facere debuit: Alias enim fierent locupletiores cum alterius jactura.

(6) *Actio finium regundorum*; si quis fructus ex contusis casu finibus percepit.

5. (7) *Familiæ Erciscundæ judicium*: Ubi cohæredi datur actio *directa* contra cohæredem, qui administravit hæreditatem, ut reliqua præstet; *contraria* cohæredi administratori ad repetendum impensa & damna.

6. (7) *Communi dividundo judicium*, ubi domino actio *directa* datur contra condominum administrantem, qui ex re communi locupletior factus est; *contraria* administranti ad impensas. &c.

7. (8) Denique omnes illæ *causarum figuræ* huc pertinent, ex quibus quis locupletior fit cum alterius jactura; ut (a) omnes actiones contrariæ, (b) de in rem verso, (c) de evictione, (d) lex Rhodia de jactu, (e) quoties jure Romano ex contractu bonæ fidei agitur, ad id quod verbis contractus non est expressum, & tamen ideo præstari æquum est, quia locupletior fieret cum alterius jactura.

8. Non vero huc pertinet *actio judicati*, nec *de receptis* &c. utpote quæ ex consensu, sed tacito, oriuntur. SE-

SECTIO II.

De jure quod cuique competit ex quasi delicto.

§. 148.

Quarta obligationis causa descendit
QUASI EX DELICTO. Quando
nimirum *culpa* alterius jus meum læditur.

Equidem jure naturali eadem ratio est obligationis in quasi delictis, quæ in veris delictis. Nam is qui culpa sua jus meum lædit injuria agit: Culpa enim est cum quis providere debuit & potuit jus meum inde lædi posse: l. 31. ff. L. Aquil. l. 26. §. 7. ex quib. caus. mai. l. 9. §. 1. Locat. Quoties igitur quis non adhibet omnem diligentiam quam potest & debet, & inde jus meum læditur, is causa est damni; mihi facto alterius illicito aliquid abest, quod is ratione naturali reparare, i. e. jus meum mihi tribuere tenetur: Cum vero casus infiniti sint, hæc quoque obligatio *ex variis causarum figuris* descendere dicitur.

§. 149.

ACTIO ergo ex *QUASI DELICTO*
datur (1) si iudex per ignorantiam male
judicavit: (2) Si ex cœnaculo meo aliquid
ab aliis, v. g. servis & hospitibus meis,
F effun-

effunditur vel deicitur in locum quo vulgo iter fit, tunc enim læso actio contra me datur ob malam electionem: (3) Si iidem in coenaculo meo aliquid ponunt vel suspendunt, quo damnum datur: (4) Si animal meum pastu alii damnum dedit: (5) Si illi, qui in caupona, navi, aut stabulo habitandi vel operarum gratia degunt, furtum faciunt, caupo inde itidem obligatur ob malam electionem: (6) Si quis canem, verrem, vel aliud animal noxium, in tali loco habet quo vulgo iter fit, & damnum inde datum fit, propter culpam obligatur: (6) Si mentor falsum modum dixerit: Non vero (7) huc pertinent noxales actiones, quibus dominus tenetur ex delicto servi civili, ad damnum restituendum vel noxæ dedendum; hæc enim obligatio ex sola æquitate Romana orta est, utpote quæ damnum datum magis imputat domino servi & pecudis, etsi nulla ejus fit culpa, quam ei cui damnum datum est:

§. 150.

An etiam *pæna* infligi potest ei qui *culpa* sua jus alterius lædit? Affirmatur, exemplo eorum qui non ex proposito, sed ex calore iracundiæ aliquem occiderunt: Hos enim vindices sanguinis interficere jure potuerunt, nisi rei ad Asylum

lum

De obligat. pers. ex var. caus. figuris. 83

lum aliquod confugerint. Jure civili da-
mnum etiam levissima culpa datum lege
Aquiliana vindicatur:

SECTIO III.

De jure duod cuique competit
ex variis aliis causarum
figuris.

§. 151.

Diximus Tribonianum contra fidem
Digestorum *obligationes*, quæ pro-
prio quodam jure *ex variis causarum fi-
guris* oriuntur, ad duas classes restrinxis-
se, nimirum ad *quasi contractus*, & ad
quasi delicta:

At negari nequit infinita alia esse ne-
gotia ex quibus *obligatio* oritur, etsi
nec locupletior quis fiat ex alterius jactu-
ra, nec culpa quædam accedat; quæ sola
est ratio *quasi contractuum & quasi de-
lictorum*: §. 152.

Modestinus in genere ait in l. 52. ff. O. A.
nos præter consensum & peccatum obli-
gari (1) *LEGE cum obtemperantes legi-
bus aliquid secundum præceptum legis aut
contra facimus.* (2) *JURE HONO-
RARIO, ex his quæ edicto perpetuo vel
magistratu eri præcipiuntur, vel fieri pro-*

F 2

hi-

bibentur. (3) *NECESSITATE*: quando non licet aliud facere quam quod præceptum est, quod evenit in necessario hærede: Demonstrandum igitur nobis est tum *legibus*; tum *jure honorario*, plures obligationes introductas esse quæ neque ad *contractus* nec ad *quasi contractus*, nec ad *delicta* nec ad *quasi delicta* referri possunt, sed itidem proprio quodam *jure ex variis causarum figuris* oriuntur:

§. 153.

Primo igitur certum est *lege* multas obligationum species esse constitutas, unde *jure civili* actiones non dabantur: Huc pertinent obligationes quæ ex *actis vestitis*, ex *pollicitatione*, ex *illatione mortui* &c. oriuntur: Huc quoque pertinent omnes *condictiones ex lege*, *actio funeraria* item *actiones noxales* &c.

§. 154.

Secundo a *Prætore* plurimas obligationes introductas esse, quæ *jure civili* neque obligationem neque actionem produxerunt, patet ex illis actionibus quas *Prætor* ad præcavendum damnum futurum, vel ex alia dedit æquitate; quo pertinent *restitutiones in integrum*, *varie cautiones actiones in factum*, aliæque actiones *prætorix* quatenus sub quatuor illis spe-

De obl. pers. ex variis causarum figuris. 85

speciebus, quas Tribonianus refert, non continentur:

Speciatim ad has obligationes *ex variis causarum figuris* pertinent *interdicta*: Modestinus enim ad obligationes personæ quoque refert eas quæ ex *jure honorario* oriuntur; quando nimirum quædam *Edicto perpetuo* vel a magistratu fieri præcipiuntur, vel fieri prohibentur. d. l. 52. At *interdicta* nihil aliud sunt quam præcepta quibus Prætor vel jubendo vel vetando interdicebat. *Rubr. ff. de interd. ibique Goth.* Atque ex hoc interdicto actiones extraordinarias dedit: Extraordinariæ autem vocantur, quia omnes reliquæ actiones dantur ad jus aliquod consequendum, hæ autem ad factum saltem possessionis tuendum.

Hæc *interdicta* nituntur æquitate naturali; & dantur ei qui facto possessionis potior est, contra eum, qui nec jus nec antequam factum possessionis docere potest.

Unde facile constat *possessionem* non esse speciem juris *in re*, sed eam ad obligationes personæ referri debere, quæ proprio jure ex variis causarum figuris oriuntur:

§. 155.

Denique *ex variis causarum figuris*

F 3

pro-

proprio jure obligatio quædam oritur ex *necessitate*; nimirum in *suo* & *necessario hærede*: Cum enim hic sit membrum familiæ, in quem corpus familiæ necessario devolvitur, is invitus quoque hæres est, nec repudiare hæreditatem potest. Prætor demum ex æquitate suo hæredi beneficium abstinendi dedit:

Lib. VI.

De defensione jurium per judicia.

§. 156.

Explicavimus hætenus jura tum *'Deo* tum *hominibus* quæsitæ, eisque tribuenda:

Quid si homo jura illa tribuere nolit? Equidem certum est Deum, quoties jura ejus violantur, ipsum vindicem esse injuræ sibi illatæ, illumque pœnis temporariis ac æternis injuriam ulturum esse: At quæstio est de juribus quæ hominibus inter se quæsitæ sunt, & quæ homo homini tribuere recusat? Dicimus hominem compelli ad id posse ab eo cui jus illud deest; quia concessio a
crea-

creatore jure concessa quoque videntur media illud defendendi, alias enim frustra jura illa concessa essent.

§. 157.

Is igitur, cui jus aliquod naturali ratione concessum deest, vindicare illud potest, vel per *judicia*, vel per *repressalias*, vel per *bellum*:

CAPUT I.

De judiciis; ubi de origine civitatum, seu rerum publicarum, & regnorum agitur:

§. 158.

Judicia in primævo rerum statu exercebantur per *patres familias*, adeo ut si inter membra familiæ lis esset, nemo vi privata agere potuerit, sed arbitrio *patris familias* (cui imperium naturali ratione in familiam competit,) se se submittere obligatus fuerit: quoties vero inter familias ipsas lis oriebatur toties juri belli locus fuit. (vid. §. 43)

§. 159.

Adeoque in primævo rerum statu imperium erat penes singula familiarum capita: Cum vero auctis familiis naturale sit, ut, licet domos separatas habeant,

F 4

simul

simul & in eodem loco habitarent, credibile est, communi consilio omnia quæ ad communem securitatem & utilitatem pertinent, peracta fuisse: quæ origo est civitatum & rerumpublicarum.

Ex quo autem eo excrevit numerus familiarum, ut earum sustentationi non suffecerit terra occupata, separatione facta diversæ gentes seu civitates ortæ sunt.

Ortis autem vel in civitate, vel inter has civitates disidiis, consultius civitatibus visum fuit vel *pluribus* conferre imperium, vel *uni*, quæ est causa regnorum; quamquam negari nequeat plurima regna per ultimam victoriam, per deditionem, & aliquando vi injusta ac dolo constituta esse:

§. 160.

Civitas est coetus plurium familiarum juris tuendi causa congregatus; unde differt a latronum societate.

§. 161.

Imperium, seu summa potestas, definitur facultas moralis, *jure proprio* competens, ad tuenda jura civitatis, omniaque ea agendi quæ ad *salutem civitatis* pertinent.

Requiritur igitur (1) ut *jure proprio*, non alieno quis imperium exercent, (2)
ut

ut tendat ad salutem reipublicæ, & juris
tuendi causa exerceatur.

§. 162.

Acquiritur imperium naturali ratione
(1) per constitutionem familiæ, si quis fœ-
minam sibi jungit, & liberos procreat:
(2) Si plures familiæ in unum corpus
cœunt, ac se suaque jura ejus arbitrio
subjiciunt, quæ imperia Grotius vocat
usufructuaria. (3) si jure belli imperium,
hoste victo, occupamus; quæ imperia
Grotius vocat *patrimonialia*: (§. 175)

Not. 1. Subjicere autem se familiæ il-
læ solent *vel* Corpori, qui status dicitur
Democraticus; *vel* certis personis aut fa-
miliis, qui status dicitur Aristocraticus; *vel*
uni, qui status dicitur Monarchicus.

Not. 2. si uni defertur imperium, *vel*
personæ defertur, *vel* ejus familiæ; priori
calu regnum dicitur *electivum*, posteriori
calu *successivum*.

Not. 3. Status mixtus non datur.

§. 163.

De acquisitione imperii, quæ fit per con-
stitutionem *FAMILIÆ* alibi egimus: Hic
nobis quæstio est de acquisitione imperii
ex delatione populi; de reliquis enim
imperii acquirendi modis capitibus se-
quentibus agemus.

F §

§. 164.

§. 164.

Ex *DELATIONE POPULI* acquiritur imperium, si plures familiae se suaque arbitrio aliorum subjiciunt, i. e. summam potestatem in alium transferunt.

§. 165.

Subiectum summæ potestatis sunt (1) *imperantes*, i. e. illi quibus imperium delatum est consensu familiarum.

(2) *Parentes*, i. e. familiae quæ jus imperii, quod ipsis competiit, in civitatem conferunt.

(3) *Territorium*, quod patrimonium populi dicitur.

In territorio aliud est *substantia*, aliud *reditus*: Ad *substantiam* territorii pertinent etiam jura & accessiones: Atque hæc bona vocari solent, *bona coronæ*.

Reditus destinati sunt *vel* ad mensam Principis, *vel* ad defensionem imperii, *vel* fisco principis relinquuntur.

§. 166.

Objectum imperii est *salus reipublicæ*; adeoque defensio jurium tum publicorum, tum privatorum.

§. 167.

Effectus imperii ratione *imperantium* est, (1) quod teneantur defendere jura publica & privata civitatis; non ergo possunt alienare imperium vel ejus partes,
abs-

absque consensu populi: (2) Quod omnia facere possint quæ ad salutem reipublicæ pertinent; (vid. §. 63.) adeoque (a) leges condere, (b) privilegia dare, (c) onera publica imponere, (d) bellum gerere, (e) militem legere, (f) pacem facere, (g) jus dicere. (h) aliquando jus privatis auferre, si publica utilitas id suadet. &c.

Effectus ratione *parentium* est, (1) quod teneantur præstare ea quæ ad salutem civitatis pertinent: Adeoque bellum sequi, tributa solvere, legibus civitatis obedire. &c. (2) Quod jura eorum defendi debeant contra injurias tum concivium tum extraneorum. (3) Quod commoda & privilegia civitatis iis denegari non possint. (vid. §. 63.)

§. 168.

Finitur imperium (1) morte imperantis si regnum est electivum. (2) Exstincta familia, si familiæ delatum est. (3) Ultima victoria, qua continetur etiam deditio non conditionata. (4) Abdicatione, modo consensu statuum fiat: (5) Si quis consensu statuum imperii renunciat futuræ successioni; quæ renunciatio etiam nocet liberis, nam ea conditione v. g. filia regia nuptui elocata fuit, ne succedat; si conditionem illam vel maritus, vel

vel liberi ejus, revocant, nullæ sunt nuptiæ, deficiente quippe conditione; & liberi quoad effectum hujus successionis extra matrimonium nati censentur. (6) Sublato populo: (7) Mutata specie populi, si scilicet in provinciæ formam redigitur: (8) Sublato territorio: Non (9) si princeps male administrat; populus enim omne arbitrium & judicium suum in principem transtulit.

SECTIO I.

De successione regnorum.

§. 169.

Diximus regnum vocari **SUCCESSIVUM**, si toti familiæ imperium delatum est:

Principii autem loco ponendum est, ratione successionis ante omnia *legem delationis* inspiciendam esse.

§. 170.

Si in ipsa *delatione* nihil de successione dictum est, succedunt *liberi masculi*, & inter masculos solus *primogenitus*: Qui, si præmoriatur, omne jus suum ad suos liberos, cum eadem ætatis & sexus prerogativa, transmittit.

Primogenito ejusque linea extincta succedit *secundo genitus*, eodem modo, & eadem ratione; & sic porro:

§.

§. 171.

Si ex prima delatione *fœminæ* quoque ad successionem vocantur, *fœminæ* quidem succedunt, sed non nisi extinctis omnium masculorum, etiam post genitorum, lineis: Casu hoc existente, *fœmina* ad successionem vocatur quæ regi novissime defuncto proximior est, non quæ primo acquirenti.

§. 172.

In hac *fœminarum* successione autem idem obtinet quod de masculorum successione dictum est, ut præferatur (1) masculus primogenitus, ejusque linea; eaque extincta, secundo genitus ejusque linea, & sic porro: (2) Extinctis omnibus masculis, filia primogenita, ejusque linea vocatur:

§. 173.

In dubia successione nec populus nec rex cognoscunt, sed jure belli lis decidi debet.

§. 174.

In bonis Principis privatis, eorumque successione, jura privata civitatis obtinent.

SECTIO II.

De Imperio jure belli quæsito:

§.

§. 175.

Non saltem ex DELATIONE POPULI imperium acquiritur, sed etiam JURE BELLI. Si scilicet per ultimam victoriam, vel per deditionem non conditionatam, populus ita in nostram potestatem redactus est, ut nec ipse, nec socii amplius resistent:

Hoc modo imperium acquiritur populo victori, nunquam regi, etsi suis sumptibus bellum gerat:

§. 176

Effectus hujus acquisitionis est, quod populus victor (non rex) pro lubitu de hoc imperio disponere, illud destruere, alienare, vel pristino regi, vel alii, ea qua vult lege relinquere, ei tutorem dare, &c. possit: quia jure victoriae etiam singulos capere, occidere, in servitutem redigere, &c. quin & jura privata omnia in poenam victis auferre potest. (*Supr. §. 37.*)

CAPUT II.

De processu naturali inter
privatos.

§. 177.

Constitutis civitatibus nemo vi privata agere potest. Sed unusquisque jus suum

suum mediante actione in *judicio* persequi tenetur: Nisi judicia cessent, tunc enim quilibet privatus *jure necessariae defensionis* se suaque defendere potest.

§. 178.

Judicium est causæ controversæ apud judicem disceptatio: illudque est vel *civile* vel *criminale*.

§. 179.

Personæ, quæ constituunt *judicium*, sunt (1) *judex*, (2) *actor*, (3) *reus*; accedunt (4) ob utilitatem *procuratores*, & *advocati*:

§. 180.

Judex debet esse *a habilis*, & (b) *competens*, i. e. *persona rei*, & *causa ejus jurisdictioni subesse* debet:

Subest autem *jure naturali* vel (1) *ratione domicilii*, vel (2) *ratione rei sitæ*, vel (3) *ratione contractus & quasi contractus*, vel (4) *ratione delicti & quasi delicti*, vel (5) *ex aliis variis causarum figuris*, vel (6) *ex prorogatione*: Non (7) *ex continentia causæ*, nec (8) *ex privilegio miserabilium personarum*, nec (9) *ex dignitate &c.*

§. 181.

Actor dicitur is qui *jus suum in judicio persequitur*.

n. 1. *Actio* igitur in genere est facultas persequendi *jus quod nobis, vel ex statu*

statu hominum, *vel ex jure in re, vel ex obligatione personæ* competit.

n. 2. *Actiones naturali jure sunt* (1) *vel præjudiciales, vel reales, vel personales, vel mixtæ ex realibus & personalibus.*

(2) *Vel universales vel particulares.*

(3) *Vel rei persecutoriæ vel pœnales vel mixtæ.*

(4) *Vel ordinariæ, vel extraordinariæ; quæ Ictis Romanis interdictorum nomine veniunt.*

(5) *Vel transitoriæ ad hæredes, vel non transitoriæ.*

(6) *Quædam ex factò proprio oriuntur, quædam ex factò alieno.*

(7) *Aliæ simplices aliæ sunt duplices.*

(8) *Aliæ directæ aliæ contrariæ.*

(9) *Aliæ quibus solidum consequimur, aliæ quibus minus solidum.*

Præterea *jure Romano actiones* (10) *sunt vel civiles vel prætoricæ; (11) vel bonæ fidei vel stricti juris; (12) vel in simplum vel in duplum; &c. (13) vel directæ vel utiles (14) aliæ sunt perpetuæ aliæ temporariæ (15) aliæ noxales aliæ non noxales.*

n. 3. *Agere possunt omnes quibus jus aliquod deest, modo perfectum habeant judicium: Hinc infantes & furiosi non nisi per tutores & curatores agere possunt.*

n. 4.

n. 4. *Agere* quoque possunt hæredes, si defuncto aliquid ex patrimonio abfuit; non si jus agendi personæ defuncti inhæsit.

n. 5. Not. invitus nemo agere tenetur, nisi ab eo ad agendum provocetur cujus interest; quo fundamento nititur actio ex lege *si contendat*.

§. 178.

Reus est contra quem actio intentatur, adeoque qui jus alienum penes se habet, vel jus alterius læsit, quod actor persequitur.

Conveniri i. e. rei fieri possunt omnes qui maturum iudicium habent, (non ergo infantes & furiosi nisi per tutores & curatores) eorumque hæredes, quoties defunctus e patrimonio debuit, etsi locupletior factus non sit.

§. 179.

Aliquando reus, qui vicissim aliquid ab actore petit *reconveniendo* huic litem movere solet.

Jure naturæ hæc reconventio separata est actio, & separato iudicio experiri litigantes invicem debent. At jure Romano simultaneo processu utraque lis peragitur.

§. 180.

Procuratores sunt, qui processum vi mandati instruunt, & hinc dicuntur,
G do-

domini litis. Si ab universitate constituuntur, *syndici* vocantur. *Advocati* causam defendunt, unde oratores quoque vocari solent.

§. 181.

Quia vero judicia cum effectu exerceri non possunt nisi causa instructa sit, necesse est ut actor (1) exhibeat *libellum* actionis, & formet petitum; ultra quod iudex pronunciare nequit. (2) Reus *excipit*, vel affirmando vel negando litem; & opponendo exceptiones, vel litis ingressum impediendo, vel dilatorias, vel peremptorias. (3) Actor *replicat*, & (4) reus *duplicat*: Sed & (5) ulterius procedere possunt partes, si ad defensionem juris id necessarium existiment: At civitatum moribus vix ultra proceditur, nisi nova quædam in duplicis allata esse probetur.

§. 12.

Aliquando super negatis suscipitur *probatio*, quæ in causa dubia etiam ex officio injungi potest. Ea fit (1) per *testes*, (2) per *instrumenta*, (3) per *delationem juramenti*; (4) per *sortem*, quo etiam pertinet *arbitrium*, (5) per *confessionem*, non (6) per *torturam*, Nec (7) per *præsumptiones*: Unde juramenta purgatoria & suppletoria sunt inventa juris civilis

lis; jure naturæ enim actore non probante reus absolvitur.

§. 183.

Probatione peracta, judex pronunciat sententiam juxta acta & probata: Eamque sequitur executio.

§. 184.

Aliquando ipse judex actor est; qui *processus* dicitur *inquisitorius*, & in delictis obtinet; ubi præcedere debet *generalis inquisitio*, ibique examinatur (a) an de corpore delicti constet; (b) si est delictum facti transeuntis, quæ nam indicia extent, & an illa sufficiant ad specialem inquisitionem?

n. 1. His rite examinatis, sequitur *specialis inquisitio*, ubi ipse reus de crimine interrogatur, & si delictum grave est, interim carceri traditur.

n. 2. Si reus negat crimen, judex per officiales fisci probationem suscipit; qua peracta, reo defensio plenissima concedi debet, & causa conclusa judex sententiam pronunciat, eamque executioni dat.

n. 3. Si reus docere vult iniquam esse sententiam, & contra rationes juris latam, remedia ei denegari non possunt, si ve sit causa civilis si ve criminalis.

G 2

LI.



Libera VII.

De defensione jurium per repressalias & per bellum:

§. 185.

Judicia tantum valent in subditos; contra extraneos autem jura nostra defendimus vel per *repressalias*, vel per *bellum*.

Cum enim inter duas familias, & post constitutas civitates, inter duas gentes superior non sit, qui causa cognita lites inter eas ortas dirimat, unusquisque jure necessariæ defensionis jus suum vi defendere potest. CAPUT I.

De repressaliis.

§. 186.

REPRESSALIÆ dicuntur ab Italica voce *presa*. Sunt autem *repressaliæ*, quando civitas pro injuria ab alia civitate vel ejus cive sibi illata, quam reparare recusat, ejus bona aut subditos capit citra bellum.

Non ergo sufficit si civis lædens reparare nolit, sed requiritur ut judex lædentis reparationem recuset, tunc enim ipsa civitas lædentis injuriam committit.

§. 187.

Ratio hujus juris est ex ipso jure natura:

rz:

ræ: Cum enim inter duas civitates nemo superior sit qui litem dirimat, omnia media, quæ ad reparationem damni vel injuriæ tendunt, adhiberi licite possunt; non autem medium aliud datur præter *repressalias*, & bellum. Cum vero illud mitius sit, quamdiu eo reparari injuria potest, bellum non potest adhiberi tanquam medium necessarium reparandi juris.

Neque *obstat* subditos non obligari pro injuria civitatis, adeoque pro delicto alieno: Resp. obligantur omnino, quia defendunt, & defendere tenentur factum civitatis vel Principis, in quem civitas omne jus suum contulit.

CAPUT II.

De bello, ejusque jure.

§. 188.

BELLUM dicitur quasi duellum, eaque voce intelligitur certatio per vim, quæ fit inter duos.

§. 189.

Definitur autem bellum, facultas jus nostrum armis persequendi.

§. 190.

Bellum (1) est vel *publicum* vel *privatum*:

tum; mixtum non datur. Bellum *privatum* obtinet quoties judicia cessant, tunc enim jure necessariæ defensionis vi privata jus meum defendere possum: Bellum *publicum* est, quod inter duas summas potestates geritur.

§. 191.

Bella (2) alia sunt *offensiva*, alia *defensiva*: (3) Alia *rei persecutoria*, quibus persequimur id quod patrimonio nostro abest; alia *poenalia*, quæ ideo geruntur, ut alteri tantundem mali infligamus, quantum fecit

§. 192.

Bella naturali ratione licita esse nemo exceptis Fanaticis dubitat, quia Deus, dum jura quædam hominibus propria esse voluit, simul concessit facultatem illa defendendi, alias enim frustra voluisset jura illis propria esse.

§. 193.

Ad bellum *publicum* requiritur (1) ut a summa utrinque potestate geratur, (2) ut indictum vel clarigatum sit.

Clarigatio est solennis & publica rerum, aut cujusque juris, clara voce facta repetitio.

§. 194.

Gerere bellum *publicum* possunt (a) solæ summæ potestates; non ergo magistratus

stratus inferiores, nisi mandante Principe; nec prædones; nec subditi contra Principem. (b) Quorum jus læsum est, non ergo pro injuria aliena bellum suscipere licet, nisi socius sit, vel aliquis operam suam ei qui læsus est locet, Vel (c) læsus absens sit, et alius ejus negotia gerat.

§. 195.

Geritur bellum cum summa potestate quæ injuriam fecit; non ergo bellum geritur cum subditis, sive propriis sive alienis; nec cum prædonibus, ut ut præpotentibus.

§. 196.

Objectum belli sunt omnia jura quæ in privatas actiones venire possunt; adeoque omnia jura quæ hominibus tum ex statu hominum, tum in res terræ, tum ex obligatione personæ quæ sita sunt; quoties nimirum jura illa ab aliis turbantur: Hæc enim injuria bello reparari potest.

§. 197.

In hostem omnia licent: Quia enim hostis cives nostræ civitatis occidit, res nostras capit, vastat &c. adeoque tot criminum reus est, reparatio ex bonis hosti propriis exigenda, & præterea jus talionis in eum statui potest. (Supr. §. 37.)

1. Hinc I. interficere hostem in nostro, in hostili, vel in sociorum, (non in mediocorum) territorio deprehensum, licet: Idque verum non tantum est quoad milites actu militantes, sed & quoad omnes subditos civitatis hostilis, quin & socios hostis.

2. Atque hoc jus occidendi subsistit etiam in captos, etsi victi supplices gratiam victoris implorent, vel sine conditione se dederint: Quin & obsides occidi possunt, si fides, ob quam dati sunt, ab hoste violatur.

3. Non autem extendi hoc jus potest ad medios qui in hostili territorio commorantur; nec ad infantes, qui ex crimine parentum & civitatis nulla ratione obligantur.

4. Sed & quævis arma in talem hostem licita sunt; hinc (1) percussorem mittere, i. e. per alium interficere hostem possumus, (2) venenis specula inficere licet, quem enim ferro necare possumus etiam veneno: At hæc arma ob metum talionis omitti solent, & inter Christianos merito omittuntur.

5. Fontes autem veneno inficere prohibitum natura putamus, quia alii innocentes inde perituri essent; sed nec vindicta

dicta

dicta admitti potest, quæ per se crimen est; uti si quis stuprum vel adulterium captæ infert.

§. 128.

Hinc II. capere quoque licet *res & personas* hostis: Cum enim tota civitas, ad eoque & singuli, ad damni injuria dati reparationem teneantur; cum singuli id eo, quia crimina a sua civitate in nostram civitatem commissa approbant & defendunt, eoque reparationem juris nostri impediunt, morte digni sint; reparatio ex bonis eorum jure fieri debet.

Capi igitur possunt (a) *res hostiles*, five sint mobiles five immobiles; five corporales five incorporales; five publicæ five privatæ. (b) *Personæ* quæ hostis causam sequuntur, etiam infantes.

Not. 1. Capta res vel persona censetur quando in nostra custodia est, i. e. si ad nostra vel socii nostri præsidia pervenit.

Not. 2. Præda cedit Principi, cujus jure & nomine bellum geritur; non capienti, secus ac jure Romano.

Not. 3. Capti fiunt servi, i. e. alieno dominio subjiciuntur, indeque omnia in servos (exceptis infantibus) licent.

Not. 4. *Res & personæ* acquiruntur capienti,

pianti quamdiu in ejus potestate sunt; Secus ergo si res vel persona intra fines suæ civitatis, vel lociorum, (non si ad fines mediorum,) revertatur, tunc enim res, vel persona capta, omnia pristina jura vi *postliminii* recipit.

§. 198.

Postliminium dicitur a *post* & *limen*, & nihil aliud est, quam jus quo id quod bello captum est a pristino domino recipitur, eoque in pristinum statum restituitur.

1. Causa *postliminii* a natura est: Cum enim in bellis utraque pars suam causam justam alterius injustam prædicet, uniuscujusque iudicium valet intra fines suæ civitatis: Quamdiu igitur res vel persona capta in hostis potestate est constituta, hujus iudicium prævalet, i. e. res pro capta, & persona pro servo habetur: Ex eo momento autem quo res vel persona ad pristinum limen revertitur, res pro non capta, & persona pro libera habetur; quia ex iudicio huius civitatis, (quod nunc cum effectu valet) iniuria captæ censentur; atque ideo omnia pristina iura recipiunt, ac si nunquam captæ fuissent.

2. *Postliminio* autem recipiuntur (1) *res*, etiam mobiles, quin integra territoria,

toria, ejusque partes: Inter res quoque recensentur servi & ancillæ: (2) *Personæ*, etiam integri populi, ejusque partes.

3. Postliminio saltem recipiuntur res bello, adeoque *ab hoste*, captæ: In pace igitur regulariter jus postliminii non obtinet, nec eo opus est. Exc. (1) si quædam gens, cum qua nulla nobis amicitia est, res nostras capit, & personas nostræ civitatis in servitutem redigit; tunc enim, jure talionis, res & personas illius gentis capere possumus; capta ergo a tali gente postliminio redeunt, licet bellum ei denunciatum non sit. Exc. (2) si bello pace composito nihil de captis dictum sit; tunc capti etiam in pace postliminio gaudent: Solebant enim Romani aliquando negligere captos nec eorum in pace mentionem facere, ne spe revertendi per pacem segniores fiant in dimicando: Hinc Jctus, * postquam asserint, his captis in pace postliminium esse, ex Servio hanc addit rationem, quia Romani spem revertendi captis magis in virtute bellica, quam in pace esse voluerant. Exc. (3) si quis subito exoriente

* Vid. l. 12. pr. ff. Capt. & postl.

te bello, in hostili territorio deprehenditur, nec pace in specie dictum est ne captis jus postliminii sit; hi postliminio gaudent etiam in pace.

4. Effectus postliminii est, quod *res* vel *persona* omnia jura recipiat quæ antea habuit, etiam apud medios: Hinc *res* postliminio recepta restituitur pristino domino, omniaque jura rei inhærentia redintegrantur: *Persona* autem reversa itidem omnia pristina jura, (etiam civilia,) recipit; ut jura patriæ potestatis, matrimonii, (nisi divortio matrimonium solvatur,) testamenti factionem; non vero possessionem seu facultatem naturalem rem tenendi, utpote quæ vi prohibita, adeoque sublata fuit.

5. Cessat postliminium (1) si pace cautum est ut omnia in statu quo sunt maneat: (2) Si res bello civili, vel a prædonibus capta fuit, tunc enim ipso jure prior dominus rem vindicat, & captus jura sua recipit. (3) Si hostis non capit injuria, uti si transfuga hostis partes eligit, (4) si populus per ultimam victoriam victus, adeoque bello finito, post aliquod tempus se se eximit victoris potestati, tunc enim novus populus fit.

§. 200.

III. *Vastare* quoque res hostiles licet, et si

etsi nec inde nostræ vires augeantur, nec vires hostis minuantur, quin etsi Deo consecratæ sint: Sacræ enim ex lege Principis fiunt, cujus effectus definit re ab hoste occupata.

§. 201.

IV. Denique *mentiri* etiam hosti, & dolo in eum uti licet; quem enim occidere possum, cur decipere non liceret? Inprimis si ad reparationem juris mei id necessarium sit:

At fidem hosti datam fallere nulla ratione possumus, quia fides hosti qua tali datur.

CAPUT III.

De belli sociis.

§. 202.

Partes bellum gerentes *socios* sibi assumere solent, qui causam eorum defendant.

Affistere autem aliis natura licitum est; quia sociusque, quod a Creatore aliis, sibi fœderatis, concessum est, contra injuriam turbantis defendit. Unde constat neminem socium esse posse causam quam injustam iudicat.

§. 203.

Hic igitur socius non suo iure agit,
nec

nec iniuriam sibi illatam vindicat, sed alterius causæ accedit, eamque sequitur, eoque nudum alterius est instrumentum.

Hinc socius non indicit bellum hosti socii sui, nec quod bello occupat sibi acquirit, sed ei cuius nomine bellum geritur; sed & porro, solus socius pacem contrahit, atque hæc pax una est, etiam socii quoque in pace mentio fiat.

Not. Nondum victus bello censetur qui a sociis adhuc defenditur.

Denique notandum, capta postliminio recipi si intra sociorum fines pervenerunt.

§. 204.

Effectus huius societatis est, quod socius causam socii juxta leges fœderis defendere, & auxilia promissa præstare teneatur sumptibus eius cui promisit.

Quid si socius ipse in periculo constitutus suis copiis indigeat? Resp. misisse censetur.

§. 205.

Quid si pluribus auxilia promissa, illique in diversa bella distracti sint? Resp. singulis debentur.

§. 206.

Quid si pluribus auxilia promissa sint, illique inter se bellum gerant? Resp. tunc

tunc soli antiquiori debentur. Rationi enim repugnat, mittendo omnibus auxilia, suos cives invicem committere, & mutuas cædes inter eos permittere.

§. 207.

Quid si fœdus amicitiaæ contraxerim cum aliquo, & promiserim me eum non læsurum; postea autem auxilia promitto tertio cuidam, qui cum priori fœderato bello decertat, an iure id fieri potest? Affirmatur, quia nihil fœderi contrarium statuo, nec meo iure & nomine fœderatum lædo, sed causa est socii, is suo iure utitur in hostem, & ego saltem ejus sum instrumentum.

At verum est, fœderatum illum ex alio capite, quia scilicet mea ope meoque auxilio ius eius violatur, reparationem a me petere, eoque bellum mihi inferre posse

§. 208.

Ei, contra quem auxilia mittuntur, omnia in hæc auxilia a socio missa licent quæ in hostem iptum; hinc occidere, & capere, personas ac res hujus Socii licet, quia sunt instrumentum hostis.

§. 209.

Finitur societas bellica (1) finito bel-

lo.

lo, five per pacem five per ultimam victoriam: (2) Finito tempore ad quod societas contracta fuit. Non (3) renunciatione unius; nec (4) morte alterutrius.

CAPUT IV.

De his qui in bello medii sunt.

§. 210.

Supereft ut explicemus officia bellum gerentium in hos qui *medii* sunt, & vice versa.

§. 211.

Medii esse dicuntur qui utrique bellum gerentium amici sunt, & neutrius causam defendunt, sed iudicium suspendunt, i. e. utriusque factum pro jure habeant, & nihil quod ab utraque parte geritur pro iniuria.

§. 212.

Officium igitur mediorum *erga* bellum gerentes in eo consistit, (a) quod uni præ altero favere non debeant, (b) quod utrique bellantium in suo territorio plenissimam securitatem præstare tenantur; (c) quod legi possint & debeant præsentem possessionem; (d) quod personæ &

&

& res eorum qui bellum gerunt, si intra fines pacati territorii inveniuntur, eam retineant conditionem & qualitatem, quam habent eo momento quo intra fines veniunt.

§. 213.

Officium bellum gerentium *erga medicos* est, quod nihil in eos, occasione vel prætextu belli, statuere possint quo jus eorum lædatur vel minuatur; adeoque medii, eorumque res, tutæ sunt in utriusque territorio, nec fortalitia eorum occupari prætextu necessitatis possunt, nisi hostis ea occupaturus esset.

CAPUT V.

De fide hosti data.

§. 214.

Fides quoque inter hostes dari potest, & data, qua hosti, servanda est; neque enim vis ac metus hic allegari poterit, quia in bello, quod inter duas summas potestates geritur, de injuria constare nequit; sed & quoad hunc actum jus belli remissum censetur;

§. 215.

Fides autem datur vel expresse, vel tacite; quando tacite data videatur, alibi explicavimus. (Supr. §. 101.)

H

§. 161

§. 216.

Effectus est, quod, si fidem datam hostis fallit, nova inde alteri belli causa oritur, cui Deus, arbiter bellorum, victoriam daturus est:

§. 217.

Dari fides hosti potest (1) *ab ipsa summa potestate*, eaque sola si de contrahendo foedere, vel de finiendo bello agitur:

§. 218.

(2) *Ab inferioribus potestatibus* circa ea quæ ad belli administrationem, vel provinciæ curæ eorum commissæ defensionem pertinent:

Huc referuntur (a) *literæ comœatus*, vulgo passeports, (b) *Sponsiones*, quando nimirum duces belli pacis conditiones ineunt, & promittunt civitatem consensuram: Hoc pactum valet inter ducem sponsores & hostem, at civitatem sponsores non obligat: Atque huc pertinent *sponsio Caudina, Corsica, Numantina, & Helvetica*:

Si civitas ratihabere sponsionem nolit, sponsores dedi hosti debent, atque in eos jus belli obtinet.

§. 219.

(3) *A privatis* quoque fides hosti dari potest, & data obligat, quia ea ut hosti datur; idque verum est, etsi a superiore pro-

pro-

prohibitum fuerit subditis dare fidem, hæc enim lex subditos quidem obligat, non hostem; quæ vera ratio est cur Deus fidem Gabeonitis contra prohibitionem divinam datam servari voluerit, soloque Israelitas puniverit:

Si proinde captus fidem dedit hosti de redeundo, redire tenetur: Si fidem dedit de non militando contra dimittentem, & ea lege dimissus est, militare nequit: Si promisit se non fugiturum, & ideo carcere liberatus est, fugere nequit.

Quæ adeo vera sunt, ut is cui fides data est implorare officium sui hostis possit, qui compellere tenetur subditum, qui fidem dedit, ut eam præstet.

§. 220.

Uti inter amicos pro fide alicui data cautiones quædam accedere solent, ita & inter hostes accedere promissioni possunt (1) correi, (2) fidejussores & mandatores, (3) pignora, (4) jusjurandum, (5) obsides, (6) guarantæ:

De *quatuor* prioribus cautionibus supra actum est, de *duobus* posterioribus nunc agemus.

§. 221.

Obsides sunt, qui pro fide hosti data potestati ejus ita traduntur, ut si dator obsidis à fide recedat, hosti jus sit in corpus & vitam obsidis.

1. Dantur obsides vel sua voluntate, vel autoritate civitatis etiam inviti: Neutrum juri naturali contrarium est: Qui enim in civitatem coeunt, promittunt se civitatem bonis & sanguine suo defensores; si proinde non aliter, nisi datis obsidibus, defendi potest, civis e jure se obsidem dare poterit:

Sed & si nolit, civitas autem id ad salutem publicam necessarium judicet, invitus dari potest; se enim suaque arbitrio civitatis subjecit, & cum omnes simul dari non possint, meritò eligit civitas:

2. Effectus est, quod violata fide occidi obsides possint: hostes enim fiunt, & qua tales occidere eos licet.

3. An fugere possunt? Negatur: quia voluntate civitatis, quarum arbitrium sequi tenentur, obsides dati sunt; indeque retracti tanquam perfidi puniri possunt.

§. 222.

Vox guarantæ Germanica est, a *Wehr* dicta, quæ securitatem significat:

1. *Guarantæ* sunt personæ publicæ, quæ pro securitate fidei inter hostes datæ interveniunt, & promittunt, quod in casum violatæ fidei vindicare injuriam armis velint.

Hinc

Hinc constat *Guarantiam* suscipere solas summas potestates posse:

2. Effectus est, quod securitatem præstare teneantur ei cui fides data est, adeo ut si reculent officia, justa hæc in eos belli causa sit.

3. Finitur *Guarantia* uti alia pacta publica. Non ergò morte:

CAPUT VI.

De modis finiendi belli.

§. 223.

Finitur bellum I. per *ultimam victoriam*; si hostis ita in nostram potestatem redigitur, ut nulla amplius resistendi facultas ei supersit. (supr. §. 175.)

§. 224.

II. Per *deditionem* non conditionatam totius populi cum quo bellum geritur; Nam per hanc deditionem æque ac per ultimam victoriam hostis in nostram potestatem redigitur.

Utroque modo omnia jura privata & publica victori acquiruntur; qui proinde in victos & deditos, tanquam in criminis reos, animadvertere potest (d. §. 175.)

§. 225.

III. Per *Pacem*, quæ est pactum inter
H 3 duas

duas summas potestates de finiendo bello initum:

1. Pacem contrahere possunt solæ summæ potestates; etiamsi sint infantes, & furiosi, (qui contrahunt per tutores,) quin & reges eiectione, usurpatores &c. Non ergo pax contrahitur cum prædone, nec cum subditis rebellibus, nec cum ducibus belli.

2. Quæritur, an pace inita injuriæ, & damna ante bellum vel stante bello data, remissa sint? Resp. *Vel* paci adjicitur clausula, *quod omnia restitui debeant in statum quo fuere ante bellum*, quo casu injuriæ, & damna ante bellum vel stante bello illata, juxta leges pacis reparari debent. *Vel* pactum est, *ut omnia maneant in statu quo nunc sunt*; hoc casu omnes injuriæ, & damna tam publica quam privata remissa videntur: *Vel* pace nihil dictum est de injuriis & damnis medio tempore datis, tunc vi quidem reparatio exigi nequit, utpote quæ per pacem sublata est, attamen jus postliminiæ in rebus & personis captis obtinet. *Vel* paci clausula generalis amnestiæ adjicitur: Hoc casu oblivio mutua promittitur, indeque idem est ac si expresse pactum sit, omnia in eodem statu quo nunc sunt manere debere:

3. Quid

3. Quid de debitis dicendum, quorum nomine ante bellum inchoatum actio competiit? Resp. Hæ actiones omnes redintegrantur pace contracta, nisi durante bello *debitor* jussu victoris fisco solve-rit; vel nisi *creditor* captus debitum accepto tulerit, & de injuria in pace transactum fuerit.

4. An id quod hostis durante bello promisit pace facta peti potest? Affirmatur, quia etiam durante bello exigibile promissum potest, utpote quod hosti, qua tali, factum est; adeoque injuria hic nulla subest, de qua sola transactum est.

5. An pax hæredes quoque obliget? Affirmatur, quia pax semper jure populi contrahitur, qui nunquam moritur.

6. Rumpitur pax quoties aliquid paci contrarium fit; i. e. quoties id quod pace promissum est, non servatur.

§. 226.

IV. Finitur bellum per *sortem*, si consensu totius populi decisio litis sorti committitur. Species sortis est *certamen singulare*, & *arbitrium*: *Priori* casu paucorum fortitudini, *posteriori* casu unius vel plurium arbitrio litis compositio confertur:

H 4

CA-

CAPUT VII.

De legatis & mediatoribus.

§. 227.

Pax conciliari vix potest nisi interve-
niant legati & mediatores: De qui-
bus nunc agemus.

SECTIO I.

De legatis.

§. 228.

Legati sunt personæ a summa potesta-
te, negotii alicujus peragendi causa
ad aliam summam potestatem missæ.

§. 229.

Legati vel *belli* tempore mittuntur,
vel tempore *pacis*.

§. 230.

ILLI, etsi ab hoste mittantur, hostium
tamen jure haberi non possunt; quia non
veniunt animo lædendi, sed tractandi
de juribus quæ etiam cum hoste com-
munia sunt. Sane bella perpetua forent,
nec unquam de pace agi posset, nisi per
legatos pacis conditiones offerre liceret.

1. Hinc jam constat, privilegium le-
gatorum tantum obtinere, & necessari-
um esse in iis qui *ab hoste*, adeoque
tempore *belli*, mittuntur; reliqui enim
jure communi tuti sunt.

2. Pri-

2. Privilegium autem illud consistit in eo, quod, cum jure belli in hostem omnia liceant, excipiatur persona legati quæ non animo hostili venit, adeoque pro hoste haberi nequit, indeque nec ipse, nec ejus res, nec comites violari possunt. At privilegium hoc nec ad crimina extendi potest, nec ad contractus: Unde legatus etiam ab hoste missus ob crimen puniri, & ex contractu suo conveniri potest.

3. Mittunt tales legatos qui jus belli habent; adeoque summæ potestates: Non ergo (1) subditi in bello civili, nec (2) prædones, etsi potentes &c.

4. Missus admitti debet, nisi justa rejiciendi causa sit, uti si mittitur subditus rebellis. &c.

§. 231.

III, qui ad amicos mittuntur, communi hominum jure tuti sunt, nec privilegio opus habent.

1. Quæritur autem unde illæ prærogativæ ortum habeant, quæ legatis, etiam ab amicis missis, tribui solent? Resp. ex tacito pacto, adeoque ex ipso jure naturæ.

Cum enim inter gentes plures legatorum classes receptæ sint, ita ut alii dicantur *Ambasciadores*, alii *legati in spe-*

cie; illique vel *ordinarii*, vel *extraordinarii*; vel *residentes*, vel *agentes* &c. Cum inquam cuique classi præminentia quædam & privilegia ex usu cujusque Curia tribui soleant, necessario sequitur, quod is, qui vel *Ambasciadorem*, vel *Legatum*, vel *Residentem* &c. recipit, ex ipso facto receptionis teneatur omnes præminentias ei tribuere, quæ ex usu Curia suæ ejusmodi legato tribui solent, qui enim vult antecedens, vult etiam consequens.

2. Verum ad has præminentias non pertinet (1) immunitas a pœnis, si legatus delinquit, nec (2) exemptio a jurisdictione loci, si contraxit: Nec (3) jus asyli intuitu delinquentium, qui ad ædes ejus confugiunt, nisi ex aula usu hæc privilegia legatis permiffa sint.

3. Finitur legatio, eique conjuncta privilegia (1) finito negotio, si legatus ad fines, vel, si ab hoste missus est, intra præsidia suæ civitatis reversus est. (2) Morte legati, quoad ejus personam; non quoad ejus familiam, nisi hæc domicilium mutet post mortem legati. Non (3) morte mittentis, vel ejus ad quem mittitur: Quamvis moribus mandata redintegrari soleant.

SEC-

SECTIO II.

De mediatoribus

§. 232.

Mediator est, qui transigendis litibus, inter duas summas potestates ortis, ex utriusque partis placito, volens, intercedit.

§. 233.

Constitui mediatores possunt mares & fœminæ, etiam privati, cujusque religionis.

§. 234.

Plerumque eligi solent Principes potentes, quorum interest publicam securitatem a neutro litigantium turbari, & quorum potentia metuenda est iis qui justas pacis condiciones respuunt: Unde sæpius videmus mediatores in unius litigantium partes transisse.

§. 235.

Officium mediatorum est, quod conciliare pacem, omniaque quæ eo pertinent instruere debeant.

Hinc (a) præliminaria congressus præparant, locum & diem congressus statuunt, (b) ceremoniale, quod vocant, instruunt, & suo nomine publicant, (c) gravamina cujusque partis mediatori exhibentur, exhibita partibus communi-

can-

cantur, (d) mediatores lites intervenientes monendo, hortando &c. componunt, (e) formulam pacis delineant, (f) eis praesentibus paciscentes pacis articulos subscribunt.

§. 236.

Coeterum, mediator non est Guaranta pacis, nec is interpretari pacem, si dubia est, potest.

Finitur mediatoris officium, (1) finito negotio, si nimirum vel tractatus abrumpuntur, vel pax conclusa est. (2) dissensu mutuo, (3) morte mediatorum, nisi in successorem partes consenserint.

(4) renunciatione, vel mediatoris, vel unius litigantium.



Erroyal Jurid
602

